

1711 12/29 6 1/2 p. 1/2

Sammelbet!

D 1307

2

D. F. F

AVSPICII RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI**DOMINI CAROLI**

PRINCIPIS BORUSSIAE RELIQUA

DE

**APOSTASIAE
MERITO ET FALSO
SUSPECTIS***beneuolo Superiorum consensu*

PRAESIDE

**M. PETRO ADOLPHO BOYSEN
ASCHERSLEB**

d. Nov. ∞ 18 CC XIV

H. C. L. ②

EDISSERET

A. & R

MARCUS PAVLLVS HVHOLDVS Quedlinb
Phil. & S. Theol. St

**HALE MAGDEBURGICÆ
PRELO ZEITLERIANO**

VIRIS

Summe Reuerendo, Amplissimo, Doctissimoque

DOMINO

DANIELI OTTONI KEGELIO

S.S. Th. Licentiat. Sereniss. Saxo-Isenacensis Principis
Confiliario Ecclesiastico spectatissimo, & Ecclesiae, quae
ad D. Benedicti eadem Quedlinburgi Christo colligitur,
Diacono famigeratiss. fidelissimoque

nec non

Plurimum Reuerendo, & Amplissimo

DOMINO

GVIL. TOBIAE QVENSTEDIO

Ecclesiae Capitularis S. Seruatii in eadem vrbe Dia-
cono Seniori, & Aedili dignissimo, grauiissimoque

ac denique

Clarissimo, Nobilissimoque

DOMINO

BARTHOLOMAEO HORNIO

Illustris Quedlei Conrectori Amplissimo,
meritissimoque

Domini

Patronis ac Fautoribus Suis maximopere venerandis

Commentationem hanc Academicam

Sacram cupit esse

Tantum Nominum

Cultor perpetuus

M. P. HVHOLD. Quedlinb.





COMMENTATIO ACADEMICA
DE
APOSTASIÆ MERITO ET
FALSO SVSPECTIS.

I.



Hartæ, pariter ac tempori parcendum iudicamus, vt. dum specimen ex Historia Litteraria in cathedram producere animus est, in operosam laudatissimæ disciplinæ commendationem ne excurramus. Imo inutiliter, vel saltem infructuosè laborem nostrum collocaremus, in dilaudando illo elegantioris doctrinæ capite, de cuius fructu singulari, & iucundissima necessitate nemo forte, nisi fordidus, & rerum imperitus, dubitauit. Inter alia vero, quæ explicanda illa disciplina sibi sumit, momenta, non infimum est, quod de vita, & moribus, ingenii cuiuslibet indicibus locupletissimis, ita exponit, ut potiora, scituque maxime necessaria vitæ capita exhibeat. Quibus in partibus ita diligenter elaborarunt Germani, ut Gallis, & nominatim Rol. Maresio,^{a)} criminandi occasionem suppeditauerint, Germanos in *μνηρολογίαις* elaborandis versari solitos, maioris operæ, quam

A

a) L. II. Ep. XXV.

quam pretii res effecisse. Quamuis vero id sine suffragio iudicum idoneorum, inter ipsos Gallos nominis celebritate illustrium, *b)* a *Marello* fiat, & a Viris doctis, merita Germanorum dextre vindicantibus, immatura Maresii censura recte sit explosa, *c)* nos tamen illa *μυσεολογίας* exprobratio non pungere videtur, qui caput, quod in vita eruditi quam maxime obseruandum ac præcipuum est, nobis sumpsimus enarrandum. Cum enim Religionis vires in animis hominum maximæ sint, & affectus frequenter in calamum migrare soleant, facile patet, ante de religione hominis quem certiozem esse debere, quam vel de scriptis, vel vita illius recte voluerit iudicare. vt reliquos vsus taceamus, quos tractatio de apostasia Eruditorum tum in vniuersam historiam, quæ a litteris nomen indepta est, tum præcipue Ecclesiæ diffundit, quæ quin subinde hinc lucem accipiat, nulla ratione potest dubitari. Quibus causis, vt credo, motus, optauit aliquando *Cl. Reimannus, d)* vt integra de doctis Apostatis commentatio extaret. Quamuis enim *P. Colomesius e)* & *Gv. Saldenus f)*, quos secutus est *Io. Fr. Mayerus g)*, quorundam, qui ad Pontificios transierunt, mentionem iniecerint, & *Gub. Voetius h)* alios addiderit, hi omnes tamen amplissimum

spici-
b) *Gassendi* scilicet, & *P. Bælii*, quorum ille in *Præf. ad Viram Peirescii*, eleganter ac nitide scriptam, hic in *Di&. T. I. p. 887. b.* contrarium euicerunt. *c)* Hoc labore *Morhofius* in *Polyh. L. I, c. 19. §. 2.* *Liënthal* in *Consilio de Hist. Litter. certæ cuiusdam gentis scribenda*, & *cl. Feustelius* peculiari schediasmate non sine laude defundi sunt. *d)* *Hist. Litt. T. V. p.* *e)* in *Bibl. Sel. p. 463. Ed. Hamb. Op. f)* in *Or. Theol. L. II. Ex. X. p. 437* *g)* in *Disp. de προσηγορίαις h)* in *Disp. Sel. P. III, p. 779.*

spicilegium reliquerunt demetendum, quod ita colligemus, ut antiquioris, æque ac recentioris ætatis viri exhibeantur, qui apostasiæ non ad Pontificios tantum, vt ab illis factum, hos enim *ὡς ἐν ὁδοῦ παγέρῳ*, & per lancem saturam in fine commentationis huius communicabimus, verum ad Iudæos, Gentiles, & Muhamedanos merito suspecti sunt. Præterea illis etiam operam, calamumque nostrum commodabimus, quos communis hominum error in inuidiosum apostatarum catalogum referre consuevit. Viros vero obscuros, & qui eruditorum nomen iustinerere vix possunt, a tractatione hac excludemus, cui tamen alia interdum pace Tua, L. B. admiscebuntur, ab instituto non multum aliena, quæ vsu quodam se commendare videbuntur. Denique arbitrium totius Schediasmatis, quod expectationem Tuam difficulter æquaturum, ex imbecillitate virium colligimus, penes Te erit, cordate Lector, qui rogandus es, ut, si meliora habes, nobis ne inuideas, si obelis figenda plurima iudicas, conatibus tamen nostris fauere ne dedigneris.

II. Late patet apostasia, & amplissima notione omnem denotat, qui deficit, vel fugiendo, vel deserendo, vel præuaricando, vel alia quacunque ratione agendo, cuius suspicio in Virum constantis, obfirmatique animi non cadit. Gl. Vett. Transfuga, *ἀποστάτης*. Commentarii vocum reconditarum, quos *ἑτυμολογικά* vocamus, *ἀποστάτης*, rebellis. In quem sensum etiam accepisse videtur *Ælianus* V. H. L. II. c. IX. Magis definite *Plutarchus*, a) & *Phauorinus Camers* vocem interpretantur, qui a proprio duce ad hostem dilabitur, reliqui frequentius de homine sumunt, qui ab eo discedit, cui antea

a) in Galba.

tea adhaeserat, cuiusque defensionem in se susceperat. Praeuaricatorem latine dixeris, qui variis in causis varius positus est, vt ait Cicero. b) Ita communiter scriptores *οἱ ἕξω*, a quibus tamen paullum discedunt Ecclesiae Doctores, limitata, & ad nobilium argumentum tracta vocis notione, eum significantes, qui a Christiana religione ad hostes transit, quos in tres classes abire iubebant, in Haereticos, Ethnicos, & Iudaeos. Ἀποσταλῆ, οἱ ἀπὸ Χριστιανῶν γενόμενοι Ἕλληες, οἱ ἀπὸ Χριστιανῶν γινόμενοι Ἰουδαῖοι, vt legitur in Constitut. Ecclesiast. quas Balsamo collegit ex L.I. Cod. Theodos. Περὶ Ἀποσταλῶν Tit. VII. Idem Balsamo ad Canonem XLIX. Conc. Carthaginienſis p. 619. Ἀποσταλῆ, Ἰσῆ ἔστιν, οἱ ἀρνησάμενοι τὸν Χριστιανισμόν. Sricctius magis p. 1292 τὸν ἐξ Ὁρθοδοξίᾳ γενόμενον ἀποστῆνός inter Apostatas refert, quo ipso Partes sequitur, non infrequenter ita loquentes. Nordſtima. Tertulliani vox: Persecutio facit martyres, haereticis apostatas. Non minus alii, quos *Œuardenus* c) allegat. Melius tamen alii discrimen inter apostatam & haereticum agnoscunt, vt *Cyprianus* fecit, cuius haec sunt verba: d) Interesse debet inter eos, qui vel apostatauerunt, & ad seculum, cui renenciauerant, conuersi, gentilitate viuunt, vel ad haereticos transfuge facti, contra Ecclesiam parricidalia quotidie arma sumunt. Varias quoque, & peculiareſ significaciones voci Apostata iuris Canonici interpretes affinxerunt, quas, si Tua id referre iudicaueris, legere apud Voetium e) licebit, qui de his ad rariuſque copiosus est. Superest alia vocis nostrae notio, illi propria, ὅς ἐν ἀληθείᾳ ἐν ἔσση το. VIII, 44. Luculenter hanc in rem *Ioannes Chrysostomus* f) Ἡ πονηρία τῆ ἀποσταλῆ.

b) in Partit. c. XXXVI. c) ad Irenzi L. IV. p. 146. Ed. Massueti. d) Ep. LIV. p. 64. Ed. Col. e) P. III. Disp. Sel. p. 769. f) in Hom. de Diabolo Tentatore.

αβόλα ἐν ἐξ ἀρχῆς ἦν, ἀλλὰ μετὰ ταῦτα ἐπεγένετο, διὸ ἀποστά-
της λέγεται. Ceterum D. Paulus crimen ἀποστασίας, κατ'
ἔξοχὴν ita dicitur, ἢ ἀνθρώπων ἢ τῆς ἀμαρτίας, ἢ ὡς ἢ τῆς ἀπω-
λείας nominatim exprobrat in Theff. II, 3. qui alibi ean-
dem ἀποστασίας vocem sensu, quem recte affecurus est
D. Augustinus, g) dum refugam conuertit adhibebat.
Nobis ἀποστατῶν nomine illi veniunt, οἱ ἠγνήσαντο τὸν χρι-
στianισμόν.

III. Lubentes vero quæstiones varias præterimus,
quæ in scholis de hoc argumento ventilari solent, quip-
pe ab instituto nostro alienas, sicuti nec de litibus labo-
ramus, hanc in rem mouendis, qui in neminem iudi-
cium temere nobis arrogamus, & procul odio, gratia-
que ea explanamus, quæ nobis de commutata quorun-
dam religione innotuerunt. Hos quocunque nomine
appellaueris, vel Transitores, vel Desertores, vel apo-
stata nostra parum refert, usui tamen, & consuetudini
dandum aliquid iudicauimus. Etsi vero C. Suicerus a)
ita de apostatis iudicet: *Nobis hodierno die sunt ἀποστάται,*
qui a vera religione deficiunt, & ad hereticorum, quales-
cunque tandem illi sunt, caltra transeunt, & plerumque ipsos
hereticos malitia, & odio in veram religionem superant.
malum tamen accedere iudicio illorum, qui nemini
apostatae notam inurere volunt, nisi tali, quem a Chri-
sto, capite suo, eodemque agnito, ad Infideles, ut vo-
cant, defecisse norunt, quamuis nihil obstet, quo mi-
nus sensu Grammatico, & abusu illis apostatae nomen
tribuere posses, qui vel a Papa ad Lutherum, vel a
Caluino ad Papam dilabuntur. Neque tamen id diffi-

A 3
teri
g) in Commentariis, doctrina recondita instructis, quos de
Civ. Dei inscripsit L. XX, c. 19. a) in Theff. Eccles. sub voce
ἀποσ.

teri possumus, ἀποστασίαν, a puritate doctrinae, Ecclesiae Romanae a Viris cordatis exprobratam, (b) id videre relinqueret, quod illis etiam non perperam profus ἀποστασίαν nomen tribuatur, qui a cætu puriore ad sectam, variis sordibus inquinatissimam, quasque exploratas habere vel poterant, vel debebant, se conferunt. Verum cum illa ex doctrina diuiniore expedienda sint, consilio plura omittimus dicere, quibus de nouo monuisse sufficit, commentationem praesentem illos Eruditos esse exhibituram, quos ex indubiis argumentis constat, a Christianis ad gentes transiuisse, quibus vel ipsum nomen Christianorum ridiculum, exosumque est. Ceterum tamen non malam apud Te gratiam iniri sumus, ut speramus, si Sylloge quorundam Virorum doctorum, qui cum Pontificia Protestantium Religionem commutandam iudicarunt, Tibi ad finem communicetur.

IV. Ita declarata sententia nostra, sponte sua consequitur, vehementer nobis improbari iudicium non nullo

b) Id quod comprobarunt H. Höpferus in Disput. de Apostasia Ecclesiae Romanae Lips. 1618. Nic. Hunnius in libro, de eodem argumento conscripto. H. Kromayerus de Ap. Eccl. Rom Lips. 1682. praeter alios. Nec inconsultum fuerit, Th. Godvini elegantissimum libellum de periculo apostasiae adire, & l. Forb. a Corfe Instructiones Hist. Theolog. Idem forte sensit Theologus ille Venetus, quem Fulgentium appellat Voetius l. c. p. 774. de quo ita aliquando in Aduersariis Mnscrip. l. Casauboni legebat Cl. Wolffius: *Non possum non, quin adscribam memorabile dictum celeberrimi Theologi Veneti, quo ad mentionem iniectam reditus M. Ant. de Dominis, Episc. Spal. candidè affirmavit, eum, qui a Reformatà religione deficiat ad Papatum, esse aut bestiam, aut atheum.* Haec ita Casaubonus.

nullorum, qui vel malevolentia suffusi, vel præiudicatis opinionibus abrepti, nihil magis, quam apostasiam, crepare contueuerunt. Lewis sæpe in dogmatibus dissentus occasionem quibusdam suppeditauit, plaustris criminationum, in primis apostasiæ exprobratione, se traducendi, ita vt ad huius causam perorandam altera pars, eademque numero, & potentia inferior, fuerit prouocata. Idem hic vsu venire videas, quod in Atheismo illis ob sententiarum diuortia obiici solito, qui ne umbram quidem illius præ se ferre videbantur. Plerumque enim pestilens ille morbus tales occupauit, vesana libidine, hæreticos effingendi, qui laborant. Ita enim, callide iudicant, non difficulter odio, & inuidiæ vulgi exponi posse dissentientes, quasi eiusmodi fouerent opiniones, quas viri pii in iuratis Ecclesiæ hostibus pridem reiecerint, damnauerintque. Quis proinde, non effusissime rideret Serarii *a)* & Mart. Alphonfi Viualdo, nugacissimi Hispani, *b)* instituta, quorum ille peculiaribus Orationibus Religionem Lutheranam ipsa Mohamedana peiorem demonstrare voluit, hic vero confimili criminatione totum Lutheranismi fundamentum labefactari posse, æque ac subrui, luculento *ἀριστοίας* exemplo, existimauit. *Μάχην βαπάλιον* cum Juliano dixeris id pugnae genus, quo non nisi maledicentiæ habentæ effunduntur. Verum iuuat *ἐυλαβείσθαι τὴν κῆρα*, vt ait *Lystrata Aristophanea*. Ita oleum non tantum male perdidit *Gu. Reginaldus*, verum malignitatem animi etiam comprobauit libro, quem Caluino-Tur-

cismum

a) in Orationibus Luthero-Turcicis. *b)* in Not. quibus Petri de la Ceualleria librum: *Zelus christi contra Iudæos, & Saracenos* instruxit. Debeo hunc locum diligentia Cl. Relandi in Praef. ad *Religionem Mahomedanam*.



cismum e) inscripsit, qui instituto præterea suo condocere potuerat, male homines de secta sua criminati-

bus

e) *Guil. Reginaldus*, alio nomine *Raynoldus*, frater *Ioannis*, Viri doctissimi, & ab ipso *Simonio* Vol. IV. Bibl. Crit. N. II. doctrinæ laude non defraudati, a *Colomesio* vero exquisitis clogiis ornati in Miscell. p. 834. Op. quem cum ille in castris Pontificiorum militare cerneret, Gallias petiit, ibidemque cum fratre de Religione disputavit. Hic cum magna animorum contentione res ageretur, & neuter alteri cedere vellet, mirabili & inopinato euentu *Guilielmus*, qui contra Pontificios arma expediuerat, Pontificius euadit, *Ioannes* contra, Ecclesiæ Anglicanæ strenuus oppugnator, ad eam tamen se recipit, itaque uterque & victor, & victus ex hoc certamine abierunt. Elegantissimi Versus sunt, quos D. Alabaster hanc in rem fudit, dignique adeo, qui ex *Colomesii* Annotatore Anonymo l. c. huc transcribantur:

*Bella inter geminos plusquam ciuilia Fratres
Traxerat ambiguus religionis apex.*

*Ille (Guilielmus) Reformata fidei pro partibus instat,
Iste (Ioannes) reformandam pernegat esse fidem.*

*Propositis causæ rationibus, alter utrinque
Concurrere pares, & cedere pares.*

*Quod fuit in votis, fratrem capit alter uterque,
Quod fuit in factis, perdit uterque fidem,*

*Captiui gemini sine captiuante fuerunt,
Et victor victi transfuga castra petit,*

*Quod genus hoc pugna est, ubi victor gaudet uterque
Et tamen alteruter se superasse dolet.*

Iste ita *Guilielmus*, adiutus *Guil. Giffordi* opera *Caluino-Turcismum* elaborauit, cui cum immereretur *Raynoldus*, ultimam manum admonit *Giffordus*, ediditque ordinis octauæ forma Antvverp. 1596. aliquoties postea recusus liber, cuius totus titulus est: *Caluino Turcismus*, i. e. *Caluinistica perfidia cum Mohammediana collatio, & dilucida utriusque sectæ confutatio.*

❁ (o) ❁ IX

bus promereri. Vbi enim publice conspiciebatur ille ingenii Reginaldiani fœtus, alius Vir doctus non minori facundia, ac facilitate in *Turco-Papismo* (*) argumenta apostasie Pontificiis exprobrare scienter callebat. Quod autem Viri cordati in argumento, ex consecutionum serie, quae ex aduersariorum sententia fluere praeſumuntur, d) caute formando, iam pridem monuerunt, id

B quam

(*) Auctor libri *Matth. SVTCLIVIUS*, Theologus Anglus, qui prodiit Lond. 1604. Integer titulus hic est: *De Turco-Papismo, hoc est, de Turcarum & Papistarum aduersus Christi Ecclesiam, & fidem coniuratione, eorumque in Religione, & moribus consensione. Liber unus. Eidem praeterea adiuncti sunt de Turco-Papistarum maledictis & calumniis aduersus Guil. Giffordi famosi Pontif. Rom. & Iebusitarum supparafitavi volumen illud contumeliosissimum, quod ille Caluino-Turcismum inscripsit. Libri quatuor.*

d) Acute, vt solet, SENECA de Ira L. III. c. 34. p. m. 432. Interpretatione maligna vocis alienae efficitur, vt inter iniurias naturae numeretur sermo homini datus. Lenia sunt, propter quae non leuiter excandescimus. - Inde, inquam, Vobis ira, & insania est, quod exigua magno aestimatis. Nec minus vere APVLEIUS in Apolog. p. m. 326. Multa sunt, quae sola prolata calumniae videri possunt obnoxia. Cuius oratio insimulari potest, si quaedam ex prioribus nexa principio sui defraudentur, si quaedam ex ordine Scriptorum ad libidinem supprimantur. - Verum hic:

Illos intra muros peccatur, & extra.
Reuolue mente, si placuerit, quae patrum memoria inter Æ. H. & Dav. PARAEVM de Caluino Iudaizante fuerunt disputata. Recogita PHIL. NICOLAI Opus Tub. 1788. 8. editum: *Detectio fundamentorum* &c. Perpende P. AB EITZEN scriptum contra Conditores F. C. elaboratum, quod latine conuersum Io. Ad. GYPRAEVS in Hist. E. Slesuic. p. 449. seq.

B

quam maxime obseruari meretur, vbi de religione vel
integrae Seſtae, vel nonnullorum hominum disputatur.
Magna hic cautione opus est, ne praecipiti iudicio no-
stro prudentiorum vel risui, vel indignationi nos propin-
emus. Quid frequentius hac aetate nostra accidere
videas, quam Viris, incorruptae doctrinae laude flo-
rentibus, nunc Montanismum, nunc Deismum, & quid
non? affricari. Num vero putas, conuitia talia, Viris
mentis impotentia abreptis, aut in aestu disputationis
constitutis quae exciderunt, ipsi obesse veritati? ve-
hementer falleris. Auctor potius fuerim, ut procula-
cerbitate rationibus milites, & desinas tandem, cram-
ben apponere, quae quoties offertur, toties, tanquam
decocta, reiicitur. Saepius miratus sum, qui fiat, vt
in tanta luce, qua circumfundimur, multi coecutiant;
verum id, quod res est, perspexisse mihi his verbis vi-
detur Pindarus: e)

Ἐμφυῆς ἐτ' αἰθῶν ἀλώπηξ
ἐτ' ἐρίβρομοι λέοντες
διαλλάξαντο ἤθετο.

Quamuis itaque naeuos Maiorum tegamus potius, &
venia dignos iudicemus, quam hic aperire velimus,
turpes tamen se dant, qui nec nostra aetate desierunt in-
eptire, easdemque cum illis inflare tibias. Qui forte
pulchrum sibi duxerunt, ita Maioribus adhaerere, vt vi-
tia

seq. exhibet, aliaque id genus innumera, quae commen-
tarii vice fungentur in tritum illud Homericum:

Δύσζηλοι εἰμὲν ἐπὶ χθονὶ Φυλ' ἀνθρώπων.

Quem barbarum morem nec in cultissimo, humanissimo-
que seculo nostro deponunt

- - - Quos versu dicere, non est.

Signis persfacile est - -

Horat. Sat. V. L. I.

e) in Olymp. I. A. v. 8.

tia etiam, erroresque imitando exprimantur. Verum

*O Imitatores, seruum pecus, ut mihi saepe
Bilem, saepe iocum veltri mouere tumultus. f)*

V. Neque porro in illis vel defendendis, vel incu-
fandis labor noster erit occupatus, quos imprudentio-
res ob scientiam litterarum, ab Oriente ad nos profecta-
rum, reconditam, & exquisitam Iudaismi postulare, non
dubitarunt. 10. REVCHLINVM a Monachis Colonien-
sibus hac criminatione fuisse traductum, aliunde noui-
mus, perinde vt de LVD. CAPELLC iudicabat *o deiva*, cui
Exercitationibus suis in *Zoharem* animum Christianum
omnem exuisse, adsumto Iudaei & habitu, & voce, vide-
batur. a) Nominatim IAC. ALTINGIO, Henrici F. The-
ologo Gröningensi, tractatio harum litterarum fraudi
erat, qui cum lectione Rabbiorum impense delectare-
tur, & forte in nomine *τῆραγμαμῶτω* enunciando ab a-
liis dissentiret, Iudaeus ab inimicis credebatur. Propte-
rea conqueritur ALTINGIVS, b) *se Iudaeum doctrina, stu-
dio, affectu, commercio ab hostibus appellari, qui solo fere
praepotui pondere, quo interdum grauari se doleret, a recu-*

B 2

titt

f) Horat. Ep. XIX. L. I. a) Ita de Capello etiam iudicasse videtur
GATACKERVS C. IV. Aduerf. Posth. *Miror impense, inquit, Ca-
pellum animum inducere potuisse, ut in rapsodi Iudaeoli
augamenti putidissimis, naeniisque futilissimis -- recon-
sendis, explicandisq; horas tot impendere voluerit, eisque il-
lustrandis operam dare, quae tenebris extimis una cum au-
ctore suo addicta potius, oportuerat. De Capelli ceterum
laboribus perplacet iudicium viri ἐφορῶντος Camp. Vi-
tringæ in Observ. Sac. Diss. III. p. m. 184. Non est dubitan-
tiam, quin Doctiss. vir -- xp̄iotes sua plus indulserit, quam
vile, quam necesse, imo quam par erat. adde COLOMESIVM
in Gallia Orient. p. m. 223.*

b) T. V. Op. in Mantissa p. 426.

itis distaret. Qui clamor eo tempore frequentius audiebatur, quo, vt *ESPENCAEVUS* ait, c) Hebraica nosse, hæreticum fere erat, & Nouum, aequè ac Vetus Testamentum ab ipsis Sacerdotibus, auctore *BVCHANANO*, d) nec intelligebatur, nec legebatur. Vnde versavice non possum non probare coniecturam *V. Cl. MATVR. ZEIS. LA CROZE*, e) qui inde originem rumoris illius repetit, de transitu *Nic. Lyrani* a Iudæis ad Christianos qui percrebuit. Hunc enim parentibus Christianis prognatum, iuuenem admodum familiae Minoritarum accessisse, ex *Epitaphio* a *Io. Mabillonio* P. II. Tract. de studiis Monasticis allato, rectè confici posse, videtur. De *Hier. ALEANDRO*, Seniore, Mottensi, ac Ecclesiae R. Purpurato, saltè exploratum habemus, quod ob diffusam L. O. O. scientiam, in quibus non peregrinabatur modo, sed habitabat prorsus, Iudæus appellatus, creditusque fuerit. Ipse *D. LVTHERVUS* noster ap. *SECKENDORFFIVM* L. I. Luther. p. 125. ita iudicavit. En beati viri verba: *Hebraea lingua Aleandro, sua opinione viro maximo, vernacula est -- Nam Iudæus est natus, quae gens immodicè gloriatur -- An vero baptisatus sit? nescitur -- Ne nesciamus, cessit felicissime simulata defectio ad Christianos.* Quid mirum? Lutherum ita sensitse, cum ipsi Iudæi Aleandrum suae stirpis esse, gloriarentur. Nam disertè id testatur *IOVIVS* in *Elog.* n. 98. apud *Koenigium* in *Biblioth. Ipsi Iudæi suae stirpis*

c) in *Comm.* ad 2. *Tim.* III. d) de *Rebus Scoticis* p. 534.

e) in libro *Gall. Entretien sur diverses* &c. p. 222. Caue hunc confundas cum *Ioanne Cornande*, (non, vt vitiose ap. *Struvium* in *Introd.* p. 301. *Conrado*,) *la Croze*, *Commilitone Clerici*, & *scriptore quorundam Tomorum*, qui *Bibliothecam*, vt vocatur, *Vniuersalem* constituunt, prouti fecerunt plurimi, & inter illos *M. Westphal.* in *disp. Gryphisv.* *habita de Eruditis, qui religionem commutarunt* p. 14.

stirpis crediderunt ob raram, qua utebatur Alcander, lingua sanctae facultatem. Verum nolebat eum rumorem ferre Alcander, qui Vormatiæ publice de iniuria haec querebatur ap. SECKENDORFFIUM l. c. p. 149. Multi hic sunt, dicebat ille, boni viri, quibus notus sum ego, & familia mea, & asserere ego vere possum, Maiores meos Comites in Istria fuisse. -- LEONEM IYDAE qui Iudaeum cum multis fuisse, credunt, in eundem lapidem offendunt. Ille enim patre Ioanne, Clerico Germerensi, natus est, qui filium ex Elisab. Hochiengeria, foemina Σουεϊσδάν]ω, suscepserat. conf. Rich. Simonium T. IV. Bibl. Crit. Epist. XXXII.

VI. Superfunt alii scopuli, non minori sollicitudine declinandi, ad quos facillimum est, vt allidere vnusquisque possit. Confusio Homonymorum vt in reliquis doctrinae elegantioris capitibus foecundissima errorum genitrix esse solet, ita hic quoque vbertate mira apostatas effinxit, quos producere omnes, eorumque recensu philyras aliquot implere possemus, si vel res id posceret, vel operae hoc ipso pretium a nobis fieri, putaremus. Ut tamen, paucis allatis exemplis, rem confirmemus, monumento sit IO. PFEFFERCORNIVS, Colonienfis, Iudaeus conuersus, vel ex sola illa contentione, cuius ferram suasi Theologorum Colonienfium cum Io. Reuchlino reciprocavit, notissimus, qui ἀποστασίας, reditusque ad coetum, vnde egressus erat, non infrequenter, sed immerito, postulatur. Ita Gisb. VOETIVS P. II. Disp. Sel. p. 110. Io. Pfeffercornius, inquit, Iudaeus, vt videbatur, Christianus, sed postea relapsus, & Halae exultus. nec non p. 98. ubi de eodem Pfeffercornio Colonienfi: Ioannes per formalem hypocrisim sibi ipsi visus Christianus, postea relapsus. In eandem sententiam multi alii, quos allegare super-

fedemus. At manifesto confundunt, qui ita loquuntur, hunc nostrum cum alio cognomine, qui hic Halae ob varia scelera in carcerem coniectus, liteque tumultuaria flagitiorum conuictus, ac forcipibus tandem ignitis discerptus, misere an. 1515. periit. 1) Erat is ordini Clericorum adscriptus, cum Colonienfis ille Laicus fuerit, non duxerat ille vxorem, quam hic habebat, ut doctè obseruauit elegantissimus la Crozius 2). Superuixit praeterea multis annis Colonienfis ille Halensem, id quod certamen illud Reuchlinianum unum quemque poterit condocere. Iuuabit, his addere testimonium ex *Epistolis Obscurorum Virorum*, quae vtrumque accurare a se distinguunt: *Ille causa*, inquit personatus frater *ALBERTVS ACVFEX, HALENSIS*, *habuit principium a Io. Pfeffercornio, qui est similis re, & nomine omnibus modis huic Io. Pfeff. qui fuit hic cum forcipibus calidis laceratus.* Vt ita male dicatur Colonienfis ille in hac vrbe exustus, peius vero inde *ἀποσκόλα* illius colligatur, quem in externa Christianismi professione diem obiisse, non dubitamus asserere. *Io. Arn. Coruinum*, Lugduno Batauum, & ICTum Amstelodanensem, *Henn. WITTE in Diar. Biograph. T. II. p. 65.* defectionis ad Pontificios suspectum facit, sed praeter rem, confundit enim cum Parente filium *Arnol. Coruinum a Beldern*, ICTum itidem celebrem, & inter Moguntinos Antecessores locum indeptum, quem post fata Patris ad Pontificios transitum fecisse, neminem facile fugiet. Nihil hanc in rem addimus amplius, quibus paucis tandem tetigisse sufficit peruersum illorum morem, qui, nimis creduli, fidem incerto rumori adhibere solent, de commutatis a Viro, morti proximo, eiuratisque animi

sen-
1) conf. God. Olearii Hist. Hall. p. 231. 2) Entreziens sur diuerses suiets T. I. p. 226.

sententiis, increbescenti. Vti enim non illibenter credunt homines, quae sinistrius de morte virorum, quibus male cupiebant, referuntur, ita praecipue facile arripiuntur garrulorum rumores, qui de *ἀνομοσία* in iplo mortis articulo sparguntur, maxime ab illis, quorum interest, mendaciis non modo animum oblectari, verum famam etiam aliorum arrodere. De GROTIO talia Scriptorem *Spiritus Arnaldum* 3) commentum esse, P. Baelius 4) & Ioh. Clericus 5) merito conquesti sunt. Alii e contrario, ut sectae suae rationem habeant, id genus fabulas & ipsi credunt, & aliis obtrudunt, quamuis inuitis, & rei falsitatem facile subodoratis. Ita quae Morerius de transitu Io. Scaligeri, P. Molinaei, pluriumque aliorum in ultimis vitae diebus ad Pontificios commemoravit, eodem loco habeo, quo scriptoris Mahomedani commentum, quod ex Pocockio refert, confutatq; Baelius T. I. p. 37. ubi dicit, Greg. Abulpharaium, hominem Christianum, & ab ipsis Mahomedanis in pretio habitum, morti propinquum a fide Christiana ad Turcismum descivisse. Quamuis interdum euenerit, quosdam morbis implicitos, mortisque sentientes significationes, consilium suum improbasse, seraque resipiscencia ductos, in ea communione vitam finire, praeoptasse, quam forte ob commoda quaedam temporalia deseruerant. Memini ita, me in *Relationibus*, ut vocantur, *Innoxii* 6) epistolam Germanam hominis moribundi legere, ad Papismum delapsi, desperationis argumentis plenissimam. Nos nullius, eo modo defectionis postulati, mentionem faciemus, ne incerta, dubiaque in litteras retulisse, videamur.

VII. Imo vero plures aliae dantur causae, quae effice-

3) T. II. p. 308. 4) T. II. D. p. 1405. 5) T. VI. Bibl. Sel. p. 429.

6) ad An. 1703. p. 194.

ficere possunt, vt apostata videaris. Sola interdum humanitas, & animi moderatio inuitos & reluctantes alios in societatem apostatarum trahit, etiamsi caput rei fuerint deprecati. ELMACINO, homini Christiano, & Historiae Sacrae scriptori, propterea nonnulli apostasiae ad Muhammedanos notam inurere voluerunt, quod inusitata ille vsus *inuenia* Muhammedem *Prophetam gloriosae memoriae, & eius sectatores fideles, Imperatorem Turcarum, Regem orthodoxum, primum & fidelem* appellauerit, verum inde male defectionem Elmacini colligi, recte alii perspexerunt. Cum enim Historicos Arabicos in Compendium redegerit, verbaque ipsorum retinere maluerit, vt acute Bepierius monet, *a*) veniae spem facile sibi concipere poterat Elmacinus, qui male praeterea securitati suae consulisset, si Zelo parum prudenti abreptus, vel Mahumedem, mali, prauique animi doctorem demonstrare voluisset, vel ipsam eius doctrinam, ceu impiam & profanam exhibere. Nostrorum temporum vlcera nec tangere nec exprimere volumus, quibus eadem fabula ludirur, quam in Pontificiis applausu dignam non iudicamus. Hos enim apostasiam illis exprobrare, quos moderatum induisse animum, & affectibus vacuum, vident, multa exempla condocebunt. Erasmo id nominatim accidisse, meminimus, qui tamen, an Pontificiis assignandus sit? difficile dictu esse non perperam iudicat HORNBECKIUS, *b*). Huic enim inuito & recusanti, passim

a) in lib. Gall. *Remarques Curieuses sur l'Etat present de l'Empire Ottoman* p. 4. *Quoi qu'Elmacin, inquit, ait, ete Chretien, neanmoins il ne fait, que rapporter ce, qu'il a trouue dans les historiens Mahometans, dont il auou, e luy meme, qu'il fait l'abregé.* Conf. elaboratum, Hottingeri commentarium de *Hist. Orientali* L. I. *b*) in *Miscell. Theolog.* L. I, c, I, p. 12.

sim defectio a fide Romana obiecta fuit, vt iudicia illa evincunt, quae V. Cl. TH. CRENIUS e) collegit. Inprimis memorabile est hanc in rem institutum P. P. Dominicanorum in vrbe Veneta, qui in Bibliotheca sua instructissima imaginem Erasmi, catenis reuincti, inter haereticos, quos sibi fingunt, collocarunt, appositis disteriis variis, Erasmmum perinde, vt Lutherum & Caluinum infamantibus, vt refert testis oculatus Bern. MONTFAUCONIVS. d) Non latis sibi cauere poterat Iac. Sadoletus, Episcopus Carpentoracti, idemque E. R. Purpuratus, quo minus eandem suspicionem incurreret, cuius rumoris inuidiam ita a se declinare nititur: *Quod Ego ad Lutheranos, inquit, e) desiscam, quis suspicari potest? Amo ingenium hominis. doctrinam laudo. sententias certe non probo. Ego in catholica veritate constantissimus sum, eroque quoad viuam. Nec melioribus rationibus niti, quae vulgo de commutatis aliquoties sacris Io. BARCLAI, scriptoris elegantissimi, dicuntur, recte, ni fallor, Pet. BAELIVS f) comprobauit.*

VIII. Causae vero, quibus permoti viri eruditi defectio nis se merito suspectos reddiderunt, non unae allegari possunt, quarum praegnantiores ex Scripturae S. & Theologiae Oceano depromi debent, cui tamen nos vt immergamus, nec loci, nec officii, neque etiam instituti

C

ratio

c) P. IV. Animadu. p. 108. & P. V. p. 29 seqq adde, quae Andr. Masius in Ep. ad Georg. Cassandrum scripsit in Collect. Colomesiana p. 137. ed. Lond. Intolerabilis praecipue Mar. Viatorii censura ipsis Pontificiis non potuit non displicere. vid. b. Kortholtum de *Persecut. Eccles. prim.* p. 64. vt illa taceamus, quae scriptores vitae Erasmi, nominatimque illius, quae laeulentae Opp. Erasmi, editioni praefixa est, hoc de momento commemorarunt. d) in *Diar. Ital.* p. 50. e) in Ep. ad Fr. Nauream, Romae scripta, quae continetur L. XI. Epist. p. m. 432. f) T. I. Diçt. p. 479, not. H. & I.

ratio permittit. Paucas tamen aliunde repetemus, easdemque ita comparatas, ut interdum ratio, saltem probabilis defectionis quorundam reddi possit, qui Νήπιοι κλυδονίζωμενοι, & περιφερόμενοι εἰσι παντὶ ἀνέρω τῆς διδασκαλίας: obstetricante κωβεία ἀνθρώπων, ut D. Paullus. a) Ita fieri facile potest, ut vel sola ambitio tales in apostasiam præcipitet, quam foecundam haeresium etiam genitricem esse, neminem forte praeteribit. Imo exempla id affatim docent, non ita sollicitè conquirenda. Nouerat hunc morbum P. COTTONVS, membrum societatis Iesu nobilissimum, multis eruditus familiaris qui esse solet, proindeq; Scaligero maximam spem faciebat, amplissimis dignitatibus in aula Regia potiundi, si in Pontificiorum castris vellet militare, b) quas tamen ille parum curare videbatur, perinde, ut Casaubonus omnes Perronii, amicique sui integerrimi, Ph. a Fraxinis pollicitationes ea conditione accipere nolebat, quam uterque praescribebant, ut Cl. V. Th. Jans. Almelorvenio est obseruatum. c)

- pertas
 a) Eph. IV. 14. b) Ita Vertumianus in Epist. ad Scaligerum Gall. p. 350. MONS. DV PLESSIS, DE LA NOVE -- m'ont prié, de vous avertir, que P Cotton se vante, que par promesses, & menées il vous arrachera du lieu, ou Vous êtes -- nec non p. 325. Le pere Cotton fait la jactance, de Vous gagner par vaines promesses, & attirer a Paris, pour Vous faire revolter -- Est ille Cottonus, quem G. B. GRAMMONDVS L. XV Histor. Gall. p. m. 678. facundia praecipue floruisse affirmat, ita, ut eloquentiae imperium penes ipsum esset. Consentit Iac. GILLOTIUS in Epist. Gallicis ad de la Scala scriptis, qui p. 426. de Cotonno ita: le P. Cotton, adulateur supra quam credible, & eo nomine il plaist fort. Je l'ay vni une fois. Il parle bien, & sans action des paroles recherchées, & phaleries. L'action bonne, & agreable, & demulcet aures -- de remoi-gnage de grand savoir, & erudition il n'en donne pas. c)

in

pertas, vel plura acquirendi cupido, eo adigit, vt, vana magnarum diuitiarum spe illecti, opes caducas incomparabili thesauro praetulerint. Lectu digna sunt, quæ de *Besoldo*, & *Bachouio* eleganter, vt solet, Celeberr. Dn. D. Gundlingius d) & de *Dacero* alius non incelebris Auctor* monuerunt. Isti sane non ita animati fuerunt, vt *Dav. Blondellus*, qui facultatum mundanarum apparatus, aurique molem, sibi a Pontificiis oblatam, generose respuebat. Egregium ipsi hanc in rem testimonium a *STEPH. CURCELLAEO* perhibetur: *Catholici Romani*, dicente e) *eum magnis pollicitationibus pertrahere parati erant, nisi religiosiorem comperissent, quam vt mundanarum opum aut honorum splendore caperetur.* Paupertatem vero maximam vim in animis hominum exferere, qui sua forte non contenti, frena vel mordent, vel excutiunt, docet *Horatius* L. III. Od. XXIV.

Magnum pauperies opprobrium iubet

Quiduis & facere, & pati.

Cui Theognis assentitur versibus, miro lepore conditis, CXXXVII. seqq. p. m. XVII.

Πᾶς γὰρ ἄνθρωπος πενίᾳ δεδμημένῳ ἔτε τι εἰπῶν,
 ἔσ' ἔρξαι δύναται. γλῶσσο δὲ οἱ δίδεται.
 Χεὶρ γὰρ ὁμῶς ἐπὶ γῆν, τε καὶ εὐχέαι πάντα θαλάσσης
 Δίξεται. χαλεπῆς, κέρως, λύσει πενίης.

C 2

T 8

c) In Vita *Is. Casauboni* eiusdem Epist. praefixa p. 40. *vocabant eum quotidie prope ad coenam, creduli, quod vanis rationum coloribus ac magnis pollicitationibus facile posset dimoueri, quamuis irrito conatu.* conf. Ep. *Casauboni* CCCCIX. p. 225. ad *Mornaeum* scriptam: *Quant aux grandes promesses, qui n'ont jamais manqué, Dieu sçait, que je n'ay permis entant, que m'a été possible, que mes oracles en fussent pollues.*

d) P. I. Or. p. 241. seq. (*) *Hist. Ouvrages des Sçavans* 1687. M. O&. e) in praef. Apologet.



Τεθνάτω, Φίλε κύρνε, πεινχρῶ βέλτερον ἀνδρὶ,

ἢ ζῶειν χαλεπῇ τειρόμενον πεινῇ.

Quos aliquando, in otio constitutus, ita transferebam, incondite fortassis, & iusto liberius, ita tamen, ut Theognis intelligi possit:

Pauper ubique tacet, nec fundere verba valebit,

Cuius pauperies ora reuincta tenet.

Per mare diffusum, per terram, O Cyrne, leuandas

Praestat egestati quaerere copulas.

Mors optanda viro, qui dura viuere lege

Cogitur, hanc mortem quaerere, Cyrne, iuuat.

Alios timor abripit, & pericula impellunt, illis exantlandā, qui pro asserenda Numinis gloria fortia non tantum facere, verum etiam pati decreuerunt. Illa animorum mollities, mansuetudinis, & patientiae germanae imperita, in prima Ecclesia multos ita inuaserat, vt, cogitationibus mollissimis effoeminati, profus deficerent, ac Thurificatorum, & Libellaticorum numerum non illibenter augerent. f) Aliis dum vestigia veteris religionis, quam eiurare coacti sunt, altius infixā haerent, difficulter delenda, facile apparet, cur in commutanda eadem Protheo sint mutabiliores. Aliis litterae fraudi sunt, quas maiori successu tractari a se posse, putant, ubi ad sectam se conterrent, ab iis subsidiis non destitutam, quibus doctrina vel confirmari, vel locupletari, & augeri posset. Multa vt paucis dicamus, multi religione ceu numo vtuntur, plures solida rerum diuinorum notitia destituit, g) mul-

f) Prae reliquis hic adeundum suaserim PFANNERVM Obseruat. Sacr. p. 160. & 226. g) Nostra hic facimus verba BAEHLII, quae in *Continuat. Cogitat. diuers.* p. 167. leguntur: *de trois hommes il y en a pour le moins deux, dont le*

tos depravata voluntas excoecat, pauci sedulam animae
suae curam gerunt, quid mirum ergo, si paucissimi Paul-
linum illud *h)* meditentur: καλὸν χάριτι βεβαῦσαι τὴν καρ-
δίαν.

IX. Interim tamen sua sponte intelligitur, istam a fidei
Christianae externa professione defectionem nec ipsi fidei,
nec eius sinceris sectatoribus fraudi esse posse. Fides e-
nim uti hominibus non est superstructa, ita nec hominum
auctoritate nititur, neque lapsibus magorum virorum
subruitur, etsi commoveri illis ipsis videatur, quos non
sine omni infirmorum periculo fieri, cum indignatione
animaduertit. Veritas sua se tuetur luce, suaeque se com-
mendat pulchritudine, alienis vero plumis non superbit,
neque inutatio coruscet splendore. Licet itaque viri,
variis doctrinae praesidiis cetera instructissimi, a defecti-
one sibi temperare non potuerint, vnusquisque tamen
facile assequitur, non in litteras culpam esse coniiciendam.
Si enim vnquam alias, certe hic, ea in ratiocinando fraus,
ac fallacia committitur, qua ad causam spuriam effectus,
aliunde repetendus, refertur. Nemo forte litteris cul-
pam tribuet, quod litteratissimi nonnunquam viri luminis
naturalis ita fuerint negligentes, vt ipsum Numinis sen-
sum exuere, & profanum induere animum allaborarint.
Non possunt ergo non falli, qui inter alia, quibus fucum
imperitis faciunt, argumenta ad defectionem Virorum
doctissimorum prouocant, cum sectae suae male cohae-
rentes, lubricasque opiniones adstruere contendunt. Nisi
pretium, & preces, vel aliae res, ex quibus voluptas capi-
enda est, multum in animis hominum valereat, nisi
summus ille, & inexpugnabilis sui ipsius amor plures pef-

le principe & l'analyse de la foy sont l'education, & la
dition. ³ _{h)} Ebr. XIII, 9.

fundaret, nisi denique vel confidentia, vel diffidentia nimia alios in errores, absurdos, & pueriles, praecipitaret, haberemus forte minus apostatarum, minusque alii occasionis, turpes se dandi, ubi sectae suae causam peroraturi, defectionem quorundam ad illam crepant, aut exempla allegant praestantiss. Virorum, qui ex contrariis coetibus sua sacra, prioribus eiuratis, colere coepissent. Nos proinde *Hon. Fabro*, Iesuiticae familiae socio, laetiam non inuidemus, qua perfusum se scribit, a) cum tot eruditissimos, celeberrimosque Viros ex castris Protestantium cateruatim se ad Pontificios recipere, videret, nouimus enim non minori numero eruditos, qui ex ipsa Iesuitarum schola Lutherum, vel Caluinum, quam disciplinae Pontif. placita sectari maluerunt. Etiam si vero vel nulla horum, vel rarissima exempla produci possent, aut tamen vehementer fallor, aut eandem cum *Fabro* voluptatem Sacerdos Mohammedanus ex sequentibus huius *Voetii* verbis b) capere poterit, quae verissima esse, aliunde conuincimur: *Experientia haecenus docuit, & quotidie etiamnum nostrates docet in Indiae Orientalis Moluccis ab Ethnicismo posse plures conuerti, a Muhammedismo fere nullos, aut paucissimos.* Sicuti praesciscine affirmare ausim, maiorem Renegatorum, uti vocantur, esse copiam, quam illorum, qui ex miserrimo superstitionis suae statu eripi se patiuntur. Ita nunquam ex Christianis detuerunt, qui ad Iudaeos transferint c) maxime primis Ecclesiae nascentis temporibus, ubi frequentem talem defectionem tuisse, ex variis legibus, contra Iudaeos Apostatas latis, prudentissime, ut solet, colligit *Iac. Godofredus.* d) *Nostram*

a) in *Tra&. Vna fides* p. 3. b) *Diff. Sel. P. II. p. 668.* c) quantum opere Iudaei propterea gloriantur, lege ap. *Buxtorfium* in *Synag. c. 2.* d) in *Not. ad L. de Apost. T. VI. Cod. Theod.*

stram etiam aetatem id genus vomicas, & carinomatata tulisse, exempla ostendunt, deinceps afferenda. Nisi itaque luculentiora suppeterent argumenta, quibus una illa, ac coelestis veritas inuicte demonstrari posset, quam quae ab externo splendore, robore, & amplitudine sectae desumuntur, aut in auctoritatem tandem humanam resoluntur, aut, quod magis ridiculum est, a persuasionibus hominum, male saepius feriatorum, & ex utilitate sola omnia dimetientium, repetuntur, vereor, ne lubricis admodum, & infirmis fundamentis tota Religionis compages innitatur. Neque tamen dubito, multos, erectiore indole instructos, suos facile intra semetipsum, quos passim fuerunt, agnoscere manes, etsi ratio status prohibeat, quo minus ingenua, candidaque retractatione errores vel agnoscant, vel scandalum publice datum deprecantur, ac vel sic falsitatis istam rationem contendant.

X. Hisce ita praestructis, ordine subiungimus, quos huc pertinere putamus. Prodeat ergo Ur. *Acofta*, homo varius & corruptus, qui exemplo suo docuit, quam exitiosa solear esse illa sentiendi libertas, quae non decenter dirigitur. Facile ibi euenire potest, ut audacius paullo fidei pelagus qui ingreditur, vel circumagatur obortis procellis, vel excutatur, vel etiam ubi rectae cynolurae fuerit incuriosus, infausto abripiatur gurgite. Natus erat nobili loco in Lusitania parentibus Christianis, vertente Sec. XVI. quorum Maiores Iudaismum eiurare coacti ex illo hominum genere erant, quos Hispani *Nuevos Christianos* appellare solent. Cum autem Acoftae ingenium obtigerit non inelegans, iuuenis litteris imbuebatur, aetaeque paullo prouectior iniri tractando mancipabatur. Quae res ita feliciter cedebat Acoftae, ut quinto & vigesimo aetatis anno honesto Thesaurarii Ecclesiastici munere

VR. ACO.
STA.

nere ornaretur. Verum tantum aberat, vt haec ipsi de-
 mandata prouincia retinere Acoftam potuerit, vt exe-
 quendum potius iudicaret confilium, quod iam pridem
 de commutandis Chrifti Sacris cum Relligione Iudaica
 ceperat. Per commodum praeterea accidebat, Acoftam
 exiguis facultatibus inftitutum, iudicum horrendi Inqui-
 fitionis illius tribunalis oculos in fe non conuertiffe, ita
 enim felicius, minorique vitæ fuæ difcrimine nauim cum
 familia conscendere, & Amftelodanum petere poterat.
 Vix urbem hanc accesserat, cum folenni ritu circumcifi-
 onem fufciperet, nomenque Gabrielis, in facro fonte acce-
 ptum, in illud Vrielis commutaret. Synagogae ita rite ad-
 fcriptus *πάρθε παραδόσεις* Iudaeorum, ritus sacros, ceteraq;
ἀπόρρητα diligentius scrutari non definebat, in quibus cum
 defectus varios deprehenderet, inprimisque mores Iudae-
 orum legi a Mofe latae non videret respondere, varias
 innouationes tentabat, imo, qua poterat occasione, profi-
 rebatur, sibi pleraque Iudaeorum inftituta vehementer im-
 probari. Isto mox animaduerso, excommunicationis ful-
 men interminabantur Synagogae praesides, quod cum de-
 fpiceret Acofta, obsequiumque comprobare nollet, tole-
 mni sententia *ἀποσυνάγωγος* fiebat. a) Quae fulminis spe-
 cies fuerit, notare Acofta omisit, quamuis dubium non
 fit, quin vel *Cheremo*, vel *Schammata* a coetu fuerit exclu-
 fus, vtriusque enim caufas a *Ligtfoto* b) & *Dilberro*, c) al-
 latas, ac *Io. Seldeno* luculentius expositas, d) in Acoftam
 quam maxime videmus conuenire. Ita excommunica-

tus

- a) *Hamburgi etiam* Acoftam *ἐποσυνάγωγος* ob *παρρησίαν*
 factum esse, commemorat Mollerus in *Introd. ad Cherfon.*
Cimbr. p. 96. Vbi tamen male Typographi errore *Vr. Iu-*
rifia appellatur. b) ad *1. Cor. V. 5. T. II. Op. p. 390.* c) *T. II.*
Disput. Philol. p. 319. d) In *lib. de Iure N. & G. L. IV. c. 7.*

❀ (o) ❀ XXV

tus Amstelodami vivebat, multis, grauibusque contumeliis obnoxius, quas p. 347. seq. *Exemplaris vitae humanae* ipse Acoſta enarrat. Neque tamen eo compeſcebatur ingenium Acoſtae petulans, quo minus immortalitatem animae publico ſcripto deſtruere, ipſamque Numinis exiſtentiam ſollicitare niteretur. Exactis ita xv. annis reſiſcentiam ſimulans, in coetum recipiebatur, ac in gratiam cum Iudaeis redibat, neque tamen diuturnam, cum non ita multo poſt ob novos motus denuo Synagoga prohiberetur, cui tandem poſt elapſos vii. annos, editis prius mirae patientiae documentis, ruruſus accedebat. Ita in compendium miſimus, quae ipſe Acoſta copioſius libro cit. ſcripſit, quem Ph. a Limborch *Collationi amicae cum erudito Iudaeo* inferuit, Goudae editae A. ∞ 100CLXXXVII, quarti ordinis forma. Tandem ſibi ipſi violentas intulit manus, infelicifimum vitae exitum naſtus, nec ab homine alienum, qui benigniſſimi Numinis opem neglexit, pariter ac aſpernatus eſt. Quo anno perierit homo miſer, certo deſignari nequit, non male tamen *Auctores Biblioth. Vniuerſ.* T. vii. apud Baelium T. I. p. LXXVI. no. F. colligunt, circa annum 100XLVII id acciditſe. Conſ. etiam Summe Rev. *Kettneri* librum elegantiff. de *Religione Prudentum* pag. 75. ſeq.

Kl. Io. Paulus Alciatus, Nobilis Italus. Lael. So Io. P. ALCIATVS.
cini ſocius, adiutorque ſtrenuus, eo conſilio iam a nobis TVS.
introducitur, vt declaremus, quid de decantata huius ad
Mohammedanos apoſtaſia iudicandum nobis videatur.
Hunc Georg. Blandratae in Poloniam comitem, in Moraviam ſe contuliſſe, ipſos poſtea Turcas adiſſe, ibiq; publice religionem Chriſtianam eiuraſſe, multi confirmant. Etenim ſi teſtium numero, & auctoritate ſtare volueris, res iam conſecta videri poterat, magna enim conſentio-
D ne de-

ne defectio illa a Voetio, a) Hornbeckio b) aliisque multis traditur. Nec deest testimonium Val. Gentilis, diserte apud Bezam Ep. LXXXI. profitentis, Alciatum in Musulmanum euasisse, quid? quod Stan. Lubienicus, Reformationis Poloniae scriptor, non disimulet. c) eandem cum Ad. Neusero fortunam Alciatum subiisse, vnde prona consecutione Cel. Viro, Ern. Sal. Cypriano d) fluere videtur, Alciatum non minus, quam Neuserum vere defecisse. Neque tamen illa argumenta rem recte conficiunt, initio enim ea auide arripere, & non difficulter credere solemus, quae sinistrae de aduersariis dicuntur. Ita cum unus auctor nimis credulus fidem rumori incerto adhiberet, eundemq; ceu veritatem indubiam in litteras publice referret, alii certatim sequebantur, qui ex hoc fonte riuiolos suos incautus magis, quam prudentius erant sectaturi. Deinde fides Val. Gentilis valde vacillat. Non conueniebat inter vtrumque in praecipuis doctrinae capitibus, qui dissensus maximam inuidiam Alciato apud Gentilem creabat. Praeterea vnde Gentili de defectione Nostri constare certo poterat? qui a consortio eius seiunctus agebat, nec post annum Sec. XVI. LXVI, quo regni Poloniae finibus Gentilis excedere iubebatur, de statu rerum Alciati certior fieri poterat, quippe carceri inclusus, & eodem anno Bernae capite plexus. e) At enim ante discessum Gentilis ex Polonia nondum Mohammedisimum erat amplexus Alciatus, qui quam maxime tunc Socini erroneis opinionibus vacabat vltius propagandis. Accedit Mart. Ruari testimonium, f) a Christ. Sandio allegatum: *Alciatus in hac urbe*

a) T. III. D.S. p. 787. b) in Appar. p. 29. c) c. IV. pag. 200.
 d) in disp. de Mortibus Socinianorum violentis. e) conf. Sandium in Bibl. Antitr. p. 26. & Lubienicum de Reform. Polon. p. 107. f) l. c. p. 27. vitiose apud Sandium legitur

urbe, Gedani, vitam per aliquot annos, Christiano ritu, singulari cum pietate exegit, & moriturus animam Christo Seruatori commendauit. Quamuis uero huius Scriptoris fidem Cel. & nunquam sine laude dimittendus Dn. D. Cyprianus l. c. ita suspectam reddiderit, vt illius quidem testimonio vel parum, vel nihil tribuamus, illud tamen a Ruaro fingi forte non potuit, quod Alciatus Gedani mortem obierit. Quod si certum est, vti veritati quam proxime accedere videtur, non parum falsitatis suspecta est relatio tota de Alciati Mohammedismo, in primis cum Lubienicius de longe alia re, quam apostasia huius loquatur, vt recte *Pet. Baelius* g) ostendit, cuius vindicationem optarem cum V. Cl. *la Croze* h) lectam, excussamque esse a Dn. Cypriano. quo nemo maiorem lucem argumento obscuro, & tenebris circumsepto poterat foenerari. Quamuis mirum merito videatur, Alciatum, qui uiuo sibi apostasiam exprobrari videbat, ne verbum quidem contra reposuisse, aut falsitatem rumoris incerti ostendisse. Cum vero huius rei variae possint esse causae, nolim quidem inde validum argumentum in contrariam sententiam elicere. Vt adeo non putem, Alciatum ad Mohammedanos defecisse, quamuis id certum sit, eo ipso a fide pura & incorrupta discessisse Alciatum, dum in Socini castris militauit. Qui mentis error ita est comparatus, vt facilis admodum Alciato aditus ad Mohammedanos pateret, non difficulter concessuros, vt de Christo suas retineret opiniones, cum ipse Coranus honorificentissime de Christo loqua-

D 2

tur,

Bucerus, & postea Buarus. scripta illa Epist. ad Abr. Calouium, & reperitur Centur. I. Ep. Ruari, quae Amstel. 1677. ap. Dau. Ruarum in 8 prodierunt. Vitam illius Ruari dabunt *Sandius* l. c. p. 114. *Moller* in Introd. ad Ch. C. P. III. p. 106. g) T. I. D. p. 149. h) in Dissert. Histor. Miscellan. T. I. p. 138.



tur, vt praeter alios ostendit *Eysenmengerus* P.I. *Iud. Det.* p. 221. Vnde laudat *Lubienicius* Seruetum, quod sua ex *Corano* haulerit. i) Neque defunt ex *Turcis*, qui magnam reuerentiam Christo testantur, fidem facientibus exemplis, quae *Schickardus* ad *Tarich*, p. 51. & *Acoluthus* in *Tetraplis Alcoran* p. 21. allegarunt. Quid? quod propius *Socinianis* veritati accedere videantur illi ex *Turcis*, de quibus *Paullus Ricautius* apud *Hinckelmannum* τὸν Μακαρίτην in *Praef. ad Alcor. lit. F.* 3. ita refert: *Exorta est nuper opinio inter eos, qui in Gynecaeo, & promiscue in urbe Cnopol. humanissimi habentur, quam qui profitentur Schwol-Messibi seu sectatores Mesiae vocantur, hi defendunt sententiam: Christum esse Deum, & Redemptorem mundi. Adhaeret autem eidem iuuentus nobilior. - Horum magnus numerus, quorum nonnulli tanta animi constantia hanc doctrinam asseruerunt, ut martyrium hoc nomine tolerarint. - Mirum, homines in multa Euangelii luce cocutire posse, cum in Cimмериis illis tenebris veritatis vis erumpat.*

AMMONIUS
SACCAS.

XII. *Ammonius Saccas* succedit, de eius ad *Ethnicos* defectione diuerse iudicant *Viri*, exquisito doctrinae apparatus instructi. Primus, qui de *Ammonii* Christianismo dubia mouit, *Porphyrius* apud *Eusebium* a) est, quem *Suidas* sequitur. Nec defunt rationes, quibus compulsi ex recentioribus nonnulli apostasiam *Ammonio* exprobrarunt, quas tamen aequae feliciter diluit, ac difficultates eleganter sustulit *Dn. Prof. Heineccius* in nupera disputa-

i) L. II. p. 96. lib. cit. adde, si ita videbitur, quae Nos aliquando de *Serueto* p. 6. a) L. VI. c. 19. *Hist. Eccles.* qui sequentia *Porphyrii* verba ex L. III. adv. *Christianos* conseruauit, ab ipso luculenter confutata: ὅτι τῶν Φρονεῖν, & τῆς Φιλοσοφίας ἠψετο, εὐθύς πρὸς τὴν κατὰ νόμους πολιτείαν μετέβαλετο.

sputatione de *Philosophis Semi Christianis*, p. 26. seq. cuius pulcre dicta nolumus additionibus nostris inquinare.

XIII. Vt multa de *Auerroë*, Philosopho Arabe, fabula AVERROË lusa circumferuntur, ita sigillatim tale quid latere putamus in his *Ant. Sirmondi* verbis: 1) *Auerroës de Christiano Iudæus, de Iudæo factus est Mahomedanus*. Enim vero cum nullum sententiæ suæ testem, fide non indignum laudauerit Sirmondus, merito de veritate asserti dubitatur. Si quidem in externa Mohammedismi professione Auerroem & mortuum putamus. Quamvis neutram religionem approbasse videatur, qui mortem Philosophicam præoptavit, & cum Philosophis esse maluit, quam vel Christianis, vel Mohamedanis, si nonnullis credimus, ac inter illos *Vossio*: 2) *Quam parum, dicenti, Auerroës, tantus Philosophus, viderit in vera, & unica salutis via, arguit illud, quod diceret: malle, se, animam suam esse cum Philosophis, quam cum Christianis*. Dilerte vero Sirmondi sententia infringitur a Io. Leone ap. Hottingerum, 3) ubi Auerroem parentibus natum ait, qui gratia apud Marocci Regem semper floruerint, a quo patre suo filium in lure Muhammedanorum Canonico sollicitè institutum esse, idem, quem modo laudauimus, Leo testis est. Cuius proinde auctoritatem, fidemque ex merito pluris, quam Sirmondi facimus.

XIV. *Dec. Magnus Ausonius*, Poëta ingeniosus ac facetus, AVSONIVS liberiori scriptione sua recentioribus nonnullis ita displicuit, vt inter Apostatas fuerit numeratus. Erat vir ingenio exquisito, ac hilari, atque, quod Poëtis frequens esse solet, ad lusus, & facetias, vrbanas, aequè ac obloenas, composito. Carmina eiusdem ingenium præferunt, effusa tamen magis videntur, quam sermonis ni-

D 3

- 1) in Lib. de Immort. Animæ p. 29. 2) de Sect. Philos. c. 17. §. 19. p. 94. 3) in Bibl. Theol. L. II. c. 3. p. 272.

tore expolita, quod vitium, dubium non est, quin a seculo traxerit. Ita enim Scaliger ó pávu iudicauit, a) cui libentissime assurgimus, Aufonii, inquit, ingenium magnum, acutum. *Stilus duriosculus - Epigrammata pene omnia inculta sunt, quaedam etiam inepta aut frigida.* Hunc patre Christiano, Iulio Aufonio, Imp. Valentini S. Archiatro, Viro, si filio in *Parentalibus* credimus, pietate, moribusque locupletissimo, prognatum suscepit Burdegalla, ac futuro gentis patriaeque ornameto destinauit. In primis cum *Aemiliae Hilariae*, & *Iuliae Cataphroniae* cura accederet, quae probae, ornatissimaeque foeminae, ac arcto sanguinis vinculo Aufonio iunctae, Christiana Religionem sollicitè tenerum eius animum imbuebant. b) Quam spem cum moribus comprobaret Aufonius, amplissimis muneribus ita admouebatur, vt ipsius Gratiani disciplinae praefectus, ac ab eo tandem Consulis dignitate fuerit auctus. Et si autem haec omnia Christianismum Aufonii non obscure docere poterant, *Vossius* tamen in longe aliam descendit sententiam, c) confidenter affirmans, Aufonium a Paganismi suspitione non posse liberari. Nec in nuda assertionem acquiescit, vt *Vossius* fecit, verum modum etiam apostasiae Aufonianae reperisse sibi vitus est *Victor Giselinus*, d) dum Eum corruptum esse scribit a *Symmacho*, & ab hoc ad defectionem compulsus. Quam falso veroid a *Giselino* dicatur, *Theoph. Raynaudus* e) pridè rectè commonstrauit. *Vossii* nihilominus sententiam arripit *Gu. Caucus*, f) praeter alios, quos *Baelius* g) & *Fabri-*
cius

a) de Re Poet. L. VI. c. 5. p. m. 825. b) Conf. Parentalia Aufonii n. 26. p. m. 140. & quae exinde Baronius collegit ad A. C. 324. n. 85. c) de Poet. Lat. p. 55. d) in scholiis ad L. II. Prudentii apud Raynaudum in Hoptoth. Sect. II. c. 14. p. 56. e) l. iam iam cit. f) in Hist. Litter. p. 220. ed. recentiss. g) in Lex. T. I. p. 435.

cius *h)* allegarunt. Quamvis rationes, paganisimum Aufonii cuiusmodi, tantae nobis non esse videantur, ut earum causa Virum Clarissimum e recensione Christianorum expungere velimus. Primo pagani ritus formulas urget Caveus, qui de argumentis producendis sollicitus fuit, in Operibus Aufonii passim obuias: deinde *Centonem Nuptialem* obicit, aliaque obscena, quae non obscure animam ab omni religionis sensu destitutum, significare & redolere videantur. Praeterea obseruat, nimiam consuetudinem, quae ipsi cum Symmacho intercescit, Ethnicissimum aperte prae se ferre. Denique etiam monet, Paullinum, discipulum, ac amicum Aufonii, Praeceptorum non semel, sed passim defectionem a fide exprobrare. Sed fortassis illa maiori specie & confidentia, quam robore obiciuntur. Quod enim ad vltimum argumentum attinet, ab hoc ascendimus ad reliqua, tantum abest, ut in litterarum commercio, cum Paullino instituto, vestigia apostasiae occurrant, ut eadem potius litterarum quaedam, ea tamen certa, argumenta relinquunt, ex quibus certior de Christianismo Nostri fias. Multo hic oculatior est Baronius, *z)* qui rei summam feliciter perspexit, ubi ex ipsis his epistolis varia documenta ad declarandam sententiam nostram depromsit. Ne tamen *α σύμ-βολοι* discedamus, pauca excerpemus, quae quid doceant, Lectior peritus facile animaduertet. Ita Paullinus in Ep. ad Aufonium

*Inque tuo tantus, inquit, nobis consensus amore est,
Quantus est in Christo CONNEXA MENTE colendo.*
Non minus luculente Aufonius ipse Ep. XXIV. v. 112.
*Certa est fiducia Nobis
Si genitor, natusque Dei pia verba volentum
Accipiat.*

h) in Biblioth. Lat. p. 183. *z)* loc. alleg.

Ta.

Tacemus alia, perinde illustria, testimonia, quae si forte ἡ
 παβολιμαία dicere cum Vosio velles, sane maximum
 probationis onus in Te susciperes, neque tamen satis ar-
 gumenta destrueres, quae pro ἀυθισία horum ex simili-
 tudine stili, ingeniique Aufoniani, nexu sermonis, con-
 sensu Codd. & aliis id genus peti possent. Instas, ob-
 iurgari nihilominus Aufonium a Paullino; non diffiteor;
 Nego vero, causam huius reprehensionis a suspicione a-
 postasiae totalis repeti debere. Elegerat enim hic solita-
 rium vitae genus, quam procul a strepitu urbano, pro-
 cul a consortio hominum transigere, constitutum secum
 habebat. Hoc vero institutum cum palam Aufonius
 improbaret, & in amico suo false perstringeret, fieri ali-
 ter non poterat, quin propterea reprehensionem Paulli-
 ni incurreret. Forte etiam quaedam ἐθνικώτερα in Car-
 minibus Aufonii ille ferre non poterat, quam coniectu-
 ram Celeb. & πολυμαθέςατω Fabricio l. c. subnatam video.
 Neque porro quicquam lucrantur, qui necessitatem, cum
 Symmacho cultam, asserto suo prætendunt. Non par-
 tium, & religionis studio, sed disciplinae similitudine v-
 terque iungebantur. Quantam cunque enim amicitia-
 m, quam tamen tantam non fuisse, ex Epistola quadam
 non obscure k) colligo, cum *Symmacho* contraxerit, il-
 lam meminisse debemus ex amore litterarum profectam,
 parum vesanam illam petulantiam curante, qua Symma-
 chus erga Christianos utebatur. Nemo propterea Patri-
 bus defectionem a fide exprobrabit, quod non modo
 cultu, obsequio, ac humanitate omni prosequendos cen-
 fuerint, quos a veritate Christiana noverant esse alienos,
 verum illorum etiam fidei se commiserint, litteris, stu-
 diisque sapientiae imbuendos. Accedit, non posse pro-
 duci

k) Ep. 341. L. II, Ep. Symm. p. 215. Ed. Froben 1549.

duci documenta, quae ostendant, in fraudem & detrimentum religionis Ausonium consuetudinem familiarem cum Symmacho habuisse, lege Epistolam Symmachi CCCXL. p. m. 214. quae continet limites, quibus amicitia illa continebatur. Etsi autem, ut tertiam rationem attingamus, vena lasciva, & petulans Ausonii ab homine pio proboque exulare debebat, inde tamen ad Paganismum concludere non licebit, cum ipsa experientia lubricum huius ratiocinationis fundamentum ostendat. Quot quæso exempla produci possunt virorum, nec gravitatis, nec omni religionis sensu destitutorum, qui sibi a callidae rationis insidiis cauere satis non potuerunt. Inprimis ubi carmina fundenda erant, ad oblectandas aures, animosque hominum, mali frequentius, quam boni appetentium, deliniendos composita. Imo, fallor? an inter laudes Poëtae referri debet, si non semper frigeat, sed lepores suis subinde interspergat; id quod tamen nolim in laudes Ausonii vertatur, cui vellem sane, Epigrammata nonnulla, praecipue *Centonem Nuptialem*, poema impurissimum & obscenitate scurrili refertum, nunquam excidisse. *Monstri enim instar*, ut *Conr. Rittershusii* verba l) mea faciam, apud me est, hominem Christianum, & ut apparet, non nomine tantum, sed & peccore & moribus adeo lascivus scribere potuisse, ut *Bibbilitanum Poetam* se legere putes. Etsi autem illa ita comparata sunt, ut scriptoribus Ecclesiasticis Ausonium cum *Bellarmino* m) accensere nolim, nec fidem adhibere auctoribus a *Baelio Not. H.* citatis, ac si inter sanctos Ecclesiae fuerit relatus, impetrare tamen a me non possum, ut ob sales illos lasci-

E

UOS

l) in Ep. ad Salom. Pantherum apud Caucum l. c. adde *Bailletum* in lib. Gall. Jugements sur les Poetes T. II. p. 470. m) de Script. Eccles. ad A. C. 320.

uos in *Cavei* sententiam descendam. Ipse *Ausonius* fecit, *lus* deprecatur, multaque in excusationem sui profert id docentia, n) culpam in carmine obsceno admissam *Ausonium* & agnovisse & improbasse. *Piget*, inquit, *Virgiliani Carminis dignitatem tam ioculari dehonestasse materia. Sed quid facerem! iussum erat, quodque est potentissimum imperandi genus, ROGABAT, QUI IVBERE POTERAT, IMPER. VALENTINIANVS &c.* locus enim longior est, quam ut hic apponi possit. Tandem in ultimo argumento nexum desideramus, quamvis enim interdum more Gentilium loqui videatur *Ausonius*, illi tamen aequo falso apostasia obiicitur, ac aliis Poetis Christianis, qui parum sibi religioni ducunt. Numina profana, iuramenta Ethnica, aliasque ritus pagani formulas carminibus suis inferere, *μάλιστα ὅταν ἀπορῶσι πρὸς τὰ μέτρα*, ut false admodum *Lucianus* de Poetis *ἐμβροχίῳ*. o) Si nominatim in nostrum intuemur, multa imitatione exprimebat, cumque veteres consequi anniteretur, ac in lectione Gentilium fere consensceret, causa apparet locutionum, profanum animum praeserentium. Ceterum id genus *φράσεις* opponimus locutiones, Christianum redolentes, ac in operibus *Ausonii* hinc inde dispersas. p) Quid multis? leuissimam esse hanc rationem, vel suo exemplo docere, poterit perpetuum illud Ecclesiae ornamentum, *Gregorius Nazianzenus*, cuius opera profanae illius veterisque eruditionis notas ubique praeserunt. Monstruosi cultus Numina frequentissime inducuntur, & ubique se prodit Oratorum, Sophistarum, ac Poetarum Gentilium lectio, quorum dicta, siue sponte, & e re nata, siue studio conquisita suis nunquam non intermiscet orationibus. Hinc affirmare non dubitamus, *Ausonium* fidem Christianam nun-

n) in Praef. ad Cent. Virgil. o) in *Timoae* T. I Op. p) eulogice modo *Ephemer. Ausonii*, siue poema de totius dici negotiis.

numquam deseruisse, talloque propterea Apostasiae esse suspectum.

XV. *Casp. Barlaeum, Io. Bodinum, & Mart. Bucerum* C. BARLAEVS.
amosaerius ad Iudaeos multi suspectos reddiderunt, quamvis omnino falso. Vt enim de Barlaeo primo loco pauca moneamus, Iudaeum eum fuisse, inde colligunt nonnulli, quod notissimo Carmine, quo R. Manassis Ben Israel *Problemata de Creatione* commendavit, Iudaeis salutem, perinde vt Christianis non iudicaret abnegandam. Quamvis vero imprudenter Epigramma illud scriptum esse, *Carpozio a)* largiamur, ac ex intempestiuo, vanoque pacis amore profectum, cum Lysero, *Ἰσὺ μακαρίτη b)* dicamus, inde tamen defectionem veram inferri non posse, sumus persuasi, maxime cum ipse Barlaeus in Vindiciis, in praesidium carminis sui scriptis, in dubia Christiani animi dederit testimonia, quamvis ipsam causam male perorauerit. c) Non ita facile res de religione *Io. Bodini*, IO. BODINVS. Scriptoris Sec. XVI. in Gallia nobilissimi, Clarissimi que potest componi. Dialogus enim ipsius de *abditis rerum sublimium Arcanis*, inter libros damnatos d) dudum relatus, quem a septem collocutoribus EPTAPLOMERON inscriptum, ita comparatus est, vt ipse forte Bodinus nesciverit, an religionis sensu tunc, cum scriberet, fuerit instructus. Dubitat quidem *Gul. Saldennus*, e) vel saltem nescire se profitetur, an foetus huius auctor *Io. Bodinus* sit, verum prorsus immerito, qui Bodini fata obiter inspexille censent.

E 2

a) In Not. ad Schickardi Ius Regium Hebr. c. V. p. 240.
 b) in System. Exeget. p. 1708. c) vt solide docuit *Vedelius* in *Deo Synagogae*, quo lib. vindicias Barlaei Amstel 1636. ed. reiecit. d) a *Morbosio Polyh. L. I. c. 8. & Struuius* Introd. c. IX. § 4. *Huetius* in D. E. p. m. 770. *pestiferum, & exitialem librum, nondum editum, & nunquam edendum appellat.*

sendus est, vbi simul confirmat, obiisse Bodinum A. 1585. quem demum 1596. peste correptum, Laudini rebus humanis exemptum esse, rectius Menagius, *f*) & ex hoc alii *g*) tradunt. Liber *Mascher*. nec vnquam editus, vt perperam sibi persuadet *Teisserus*, *h*) passim tamen obuius, quem me ipsum Hamburgi in Bibliotheca 78 Δείνα euoluere memini. Excerpta ex eo plurima dedit *Io. Diecmannus*, *i*) sicuti etiam *Pet. Dan. Huetius* CONIECTVRIS SVIS EVANGELICIS passim ἀποσπασμάτια Bodiniana inseruit. *k*) Diecmanni cogitata denuo in compendio exhibet *Morhofius*, *l*) ex quo *cl. Struuus* sua transcripsit. *m*) Quamuis autem Iudaeorum causam tuendam sibi ceperit Bodinus, imò Iudaeorum modernorum cultum ipsi Christianismo praeferre, non dubitauerit, *n*) non eo tamen consilio id fecisse videtur, vt publice ad Iudaeos se conferret, verum, si quid videmus, vt ostenderet, si efficere quidem posset male proposita, neutri religioni, & Iudaicae, & Christianae, robur ac firmamentum inesse, cum ipse Iudaeorum cultus, tot ludibriis expositus, ita contemptum habitus, eadem, imò maiori veri specie se tueratur. Vnde vtriusque legibus nolebat teneri, optimum ratus, religione omni contempta, Naturalissimum sectari, vt non perperam *Ad. Tribbechouius* in doctiss. *Commen-*

e) in *Or. Theol. L. IV. Exerc. XI. p. 797.* *f*) in lib. *Gall. quo de vita Bodini multa complexus est: Remarques sur la vie de Pierre Ayrault. p. 147.* *g*) ap. *Baelium p. 628.* *h*) in *Elog. Addit. T. II. p. 249.* *i*) *Io. Diecmannus* in *Naturalismo Bodini Kil. & alibi saepius ed.* *k*) loca multa dabit *Index*, satis accurate adornatus. *l*) *l. c.* *m*) *all. lib.* *n*) *Menagius l. c. Le Dialogue a fait croire a plusieurs personnes, qu'il étoit Iuis Io. Bodinum Crypto-Iudaeum fuisse, non obscura in scriptis, & vita eius vestigia docent, Schudtia Hist. Iud. p. 517.*

mentario de historia Naturalismi suspicatus est. Si vera sunt, quae laudatus Dicmannus ex scheda Patiniana refert, Guil. Postelli chartas, in manum Bodini delatas, huic scripto conficiendo fuisse adhibitas, o) causa reddi potest, quae Bodinum ad librum inutilem, & profanum scribendum, commouit, sed de Postello deinceps copiosius. Interim minus probabile nobis videtur, Nostrum vere Iudaeis fauisse, aut ita sacris eorum fuisse delectatum, ut ea amplecti, sequique voluerit. Vti autem *Barlaeus*, & *Bodinus* quaedam vestigia extare voluerunt, quae suspicionem Iudaismi, excitare poterant, ita mera calumnia scriptorum *Fabularum Haereticarum Mart. Bucerum*, eloquentiae singularis, doctrinae variae, solidaeque, humanitatis non vulgaris, moderationis, & candoris, tanto viro dignissimi, animi tamen, si nonnullis credimus, p) parum obfirmati

M. BUCERVS.

E 3

- o) Id ita tradit Dicmannus, quod auget forte suspicionem plagii, cuius dudum Bodinus fuit postulatus, conf. Ep. Jac. Bongarsii ad Contr. Rittershusium, a Colomesio ed. in collect. p. 564. Op. qui Commentarium illius in Oppianum ex Turnebi lectionibus surreptum scribit. Magis animosior Scaliger, qui in - Anis primis p. m. 30. ita: *Bodinus indoctissimus multa transcripsit ex aliorum laboribus, imo & ex meo libello in Varronem de Lingua Latina, cuius paginas integras suas fecit sur impudentissimus* &c. bona verba quaeso! tantaene animis Burdonum irae! Iunge Baesium T I. p. 625. Hoc tamen non obstante, rectissime iudicauit Auctor Obs. I. quae T. IX. Obs. Hall. continetur §. 1. *Capitale Bodini fuit ingenium, eruditio rara, historiae veteris aequè ac recentioris cognitio vasta, scribendi peritia minime vulgaris.*
- p) Etsi maximus vir fuerit Mart. Bucerus, cuiusque etiam in Remp. Christianam merita amplissima, effugere tamen sinistra multorum iudicia non potuit, quae nunc vitae, nunc doctrinae

mati Virum, de Senatoribus Iudaicis annumerat. Iam dudum de iniuria ista, memoriae Buceri, optime de Ecclesia

doctrinae errores viro pio, & innocenti exprobrarent. Credo, summam, laudabilemque illam animi moderationem Theologo nocuisse, inde sane euenit, Bucerum inter utramque partem, a se inuicem dissidentem, medium positum, neutri placuisse. Nominatim ingenii leuitatem, & animi inconstantiam obiiciant, quasi foedere inito, scriptores non Pontificii solum, sed & Lutherani, & Calviniani. Ita ex illis *Sanderus*, cui conuitium domesticum, & solenne est, de *Visib. Monarch.* L. VIII. p. 657. Praeter inconstantiam, inquit, qua Bucerus non modo a monastico voto religionis ad seculum, & a catholica fide ad haeresin, verum etiam a Lutero ad Zwinglium, a Zwinglio ad Lutherum defecit, ac transiit, illud quoque dicendum est, quod &c. Ex illis *Melch. Adami*, partium studio, ut solet, abreptus, in *Vit. Theol.* p. m. 195 *Hornbeckius* in S. C. L. IX. p. 672. praeter alios a Cl. *Dissenbachio* allegatos in *Vindictis vitae & doctrinae Bucerianae* p. 20. Ex Lutheranis denique *I. Ionas* in *Relat. de Conv. Marp.* apud *Seckendorffium* L. II. Luther. p. 140. In Bucero calliditas vulpina est, peruerse imitata acumen, & prudentiam, vide etiam, quae de colloquio, *Vitebergae* 1536. Bucerum inter ac socios, & Lutherum habito, nonnulli suspicantur, e. g. *Osiander* in *H. E. Cent. XVI.* L. XI. c. 35. alique, citati a scriptore *Anonymo* *Tract. German. Glaubwürdige Zeugnisse vornehmer Theologorum unserer Evang. Kirchen von Mart. Buceri Unbeständigkeit in der Lehre.* qui an. 1696. lucem aspexit. Nostram si qualemcumque sententiam in hoc momento proferre debeamus, allegamus solum candida ingenii Theologi *D. Sim. Sulceri*, *Basileensis*, verba, quae *Dn. D. Fecthii* *Epist. Theologicis* a se editis, & quidem P. IV. p. 458. inseruit. *Quod inconstantiae vir optimus, & de Ecclesia praeclare meritus Bucerus arguitur ab importunis quibusdam*

ſia Proteſtantium promeriti, a compilatoribus illis illata. *Gisb. Voetius* eſt conqueſtus. q) *Prateolus*, ſcriptor nugax, in Elencho p. cvii Iudaismum Bucero exprobrauit, quem *Lindanus Dubitant. Dial. II.* p. cXLVI inſatuauit, *Bucerus*, in-
 quiens, *ut in Chriſtianismo ſuit inconstantisſimus, ita in pa-
 terno Iudaismo conſtantisſimus* - Addunt alii, filium ſuum
 Bucerum circumcidiffe, & quae plura id genus mendacia
 ſunt, ab *Hub. Contardo r)* & *Pet. Baefio, s)* inprimisque
 ſollicita & accurata opera a *Mart. Dieffenbachio* conſutata.

XVI. *Cabbus*, doctor gentis Iudaicae non infimus, ſed CABEVS.
 patriae legis, minus quam ab illa gente fieri conſuevit,
 obſeruantior, iam ſiſtitur. Commutabat ille ſuperſtitio-
 nem Iudaicam cum impietate Mohammedana, tranſitor
 potius, quam Apoſtata, neque enim beatus, felixque eſſe
 deſiit, qui nunquam fuit, aut coronam excuſſit, qua non-
 dum fuit ornatus. Iudaeos tamen tranſitus Cahbi valde
 afflixit, ac exacerbauit, qui multos doctorem inſequi, ac
 Cahbi exemplo accenſos ad Mohammedanos deficere vi-
 debant. conf. *Abrah. Echellenſem* in *Hiſtor. Arab.* c. XIV.
 p. 225.

XVII. *J. Caſaubonus* iam commemorandus venit, Is. CASAVRO-
 NVS.
 inter deſectores ab illis etiam referri ſolitus, qui cauſas
 odii procul habentes, ab omni conuitiandi libidine ſunt
 alieni. Verum falſo ſuſpectus eſt Vir conſtantisſimus, &
 ſi quis

*nam, non noua calumnia eſt. Verae aedificationis ſtudio
 hic vir Dei cum conſtanti ſincerae doctrinae profeſſione
 flagrauit, vsque ad ſinem, & ita porro, meretur enim E-
 pilſola, vt tota perlegatur, tam claram lucem argumento
 huic foeneratur. Idem copioſias commonſtrauit laudatus
 Dieffenbachius tum in *Iud. conuertendo* p. 155. ſeqq. tum
 in *Vindiciis* citatis, Germanice ad *Vir. Summe Rev. Dn. D.
 Rechenbergium* ſcriptis, editisque *Franc. 1697. 4. r)* in
Vita Buceri *Argent. ed. 1562. 8. s)* *T. I. p. 723.**

si quis alius, animo contra mundi illecebras, & blandientis fortunae conatus obfirmato, strenuoque. Fraudi fuit viro doctissimo animus moderatus, humanitasque summa, qua erga omnes, maxime illos, quos sibi in religione dissentientes habebat, utebatur. Nec ferre in Casaubono poterat *Pet. Molinaeus, infidus Casauboni obirektor*, vt *Almelowenius* loquitur, a) consuetudinem illam arctam, & fere quotidianam, quae ipsi cum Perronio, aliisque intercedebat. Non parum etiam suspicionem augebat lapsus Ph. Canaii a Fraxinis, amici eius coniunctissimi, qui cum ad Pontificios Casaubonum transiisse, communis ferebat rumor, sicuti multi etiam iudicabant, *Ioannem Casaubonum*, Filium Isaaci natu maximum, hortatore, vel saltem non invito Parente, castra Protestantium reliquisse. Verum omnibus hisce ita satisfacit *Almelowenius* in *Vita Casauboni*, nitidissime scripta, vt speciem etiam & colorem detraxerit. Etsi etiam tum alibi, tum in notissimo illo colloquio, quod auspiciis Regiis Fonte bellaqueo cum Perronio habebat *Mornaeus*, quodque huic parum feliciter cedebat, b) magis Perronio, quam fidei suae socio fauisse videbatur, ex longe alia tamen causa id fecisse, Casaubonus iudicandus est, qui multis Epistolis ad amicos datis, se purgavit, omnemque apostasiae suspicionem amolitus est. Frustraque praeterea illustri Perronio sibi persuadebat, Casaubonum magnis pollicitationibus, vel spe. obtinendi Bibliothecarii Regii muneris, propozita; ad Romanensium partes posse trahi, cultu enim publico, sermoneque familiari semper animum ostendebat, a sacris Pontificiorum alienum, nec plus con-

a) in *vita Casauboni*, Ep. eiusdem, splendido opere recensis, praemissa p. 54. b) de quo adi *La Vie du Plessis* L. II. p. 263. & *Thuanum* L. CXXIII. p. 894. ed. Franc

coniuvis, Casauboni causa institutis, efficiebat ille, prouti ostendit Almeloventius p. XXVIII. Propterea non dubito, falsum esse rumorem, qui a Scriptore *Spiritus Arnaldi*, e) ex Frontone Ducaeo affertur, certiorum aliquando fecisse Casaubonum Cardinalem, se publice festo Pentecostes, quod instaret, Caluini doctrinam esse abiuraturum. Interim iniecti erant ex illius sermonibus Casauboni animo scrupuli quidam, in quibus Caluini sententia vel a veritate, vel a veteris Ecclesiae disciplina recedere videretur. d) Quos forte respexit P. Molinaeus in Epistola illa, quam Paul. Colomesius conseruauit. e) Inde tamen aequae male apostasiam Casauboni inferri putamus, ac Colomesii illius, f) aut aliorum doctrina praestantium virorum, quibus semper licuit eligere, quae vero quam proxime accedere putabantur. Quam aegre autem Casaubonus Cangii Fresnei g) defectionem tulerit, apparet

F ex

e) *Pet. JURIEU L'Esprit de Ms. Arnaud T. II. p. 306. Casaubon, qui a vesçu, & qui est mori sans faire choix de Religion qui etoit Papiste, s' il etoit quelque chose. Fronton le Duc dans*. Verum id in auctore hoc non mirum, qui de Grotio, aliisque etiam parum honorifice iudicauit, & in quem conuicere videmus iudicium, a Polybio de Timaeo, Historico, latum L. XII. p. 919. ed. Gron. ó ðè, uricus, παρεσκοπισμένος υπό τῆς ἰδίας πικρίας τὰ μὲν ἰδιωτῶματα δυσμενῶς, ἢ μὴ εὐχέσεως ἡμῖν ἐγγυλῶς, τὰ δὲ κατὰ θεοῦ σὺν ἡβδὼν παραλέλοιπεν. d) docent id sermones, quos Casaubonus cum Io. Vytenbogardo habuit, quae occurrunt in *Epist. Eccles. & Theolog.* p. 250. e) in *Epist. sel.* n. 28. f) *Conf. eius libellum: Icon Presbyterianorum, & alium: La Parallele de la Pratique &c.* quibus iram Dn. Jurieu in se concitauit, quem vide l. c. T. II. p. 197. seqq. g) *Cangius Fresneus* idem ille, quem antea *Cangium a Fraxinis* nominabamus. De illo *Μετονομασίας γενε*



ex Ep. MLXX. p. 106LXXIII. Ed. laud. Vnde non sine manifesto calumniae sensu Scioppius, & focii Iesu, aliiq; ex Geneuensib; etiam, vt Almelouenius queritur p. xxix publice referebant, Casaubonum iuxta cum amico suo ad Pontificios transiisse. Non sine voluptate illustrem locum, ex Diario a viro laudato allegatum, huc transcribimus: *Scis Tu, Deus*, ita loquitur C. *quam me ἀποστασία Philippi afflixit, & quia maiestatem Tui Numinis violatam ab eo viro censemus, & quia propter notam publice amicitiam nostram multis persuasum est, perfidiae in Deum editum ab illo exemplum breui a nobis esse aemulandum. Mibi vero ὑποδείξις, si potest, ἡ ἀνοί ἐν γενίᾳ ἡ δὲ ὄρα, priusquam de cognita veritate vel ἰσῶρα ἐν demutemus.* Tandem plane falsum est, Ioannem ex iusu, vel scientia Parentis defecisse, quem filii consilium praeteriisse, &, vbi manifestum euadebat, vehementer, sed frustra, improbasse, & emendare conatum fuisse, *Mericus Filius in Pietate* p. LXXXVIII. & Almelouenius p. LII. dextre euecerunt. Taceo alia argumenta, quae V. Cl. Io. Christ. Wolfius ad tuendam nostram sententiam produxit *b)*, cum disputata haec abunde declarare videantur, Casaubonum Protestantium coetui constanter adhaesisse. Sicutj ea mente in Angliam se contulisse Casaubonum putamus, vt magis ipsi liceret esse securo, in confutandis Baronii Ecclesiaeque Romanae sententiis occupato.

TH. CRAN-
MERVS.

XVIII. *Thomam Cranmerum*, Archi-Episcopum Cantuariensem, Virum non ab amplissimo munere minus, quam doctrinae apparatu & meritis in Remp. illustrem, vulgo detectionis ad Papismum postulant, quamuis, siquid

vi-
nere, Historicis perperam recepto, conf. *Marnillius*, Misc. T. III. p. 67. in elegantiss. disert. *Renolte des Noms propres Latinisés*, iunge Menagium in *Obseruat. de Lingua Gall.* *b)* in Praef. ad Casauboniana. p. 52.

video, immerito. Proximus quidem ἀποστασία fuit, cum a Maria, Angliae Regina, carceri inclusus, precibus, & minis, imprimis facta declinandarum poenarum spe, quas illa emendatae doctrinae propagatoribus interminabatur, tandem expugnaretur, & conceptae παλινοδίας formulae subscriberet; Verum mox errorem agnouit, vitiumque, quod perduellionem in Deum interpretabatur, detestatus est, nec amplius animi tensa vel metu suppressit, vel spe dissimulavit. Nihil enim supplicio commotus, cruciatuum exquisitissimorum plenissimo, nihil flammis territus, quibus finire vitam debebat, nihil denique eiulatu civium, precibus suorum, & lamentabili adstantium comploratione, fortunam eminentissimi Praefulis non occulte, non priuatim, sed publice & luculenter gementium, mitigatus, exemplo memorabili, & pietate ac constantia singulari, flammis exustus, animam coelo, corpus flammis tradidit. Manum dextram extendebat, ut prae reliquis corporis membris igne consumeretur, qua tantum scelus signando abiurationis formulam, commisisse sibi videbatur. Haec ita testata reliquerunt *Th. Fullerus in Abele rediuiuo* pag. cccxxviii. *Io. Strype* in Comment. Anglico, quo vitam Cranmeri locupletius exhibet, ab eruditis Aetorum Lipsiensium Collectoribus anni MDCXCIV p. cccxv. recensito, & Melch. Adamus in Vit. Theolog. Exter. pag. v. seq. ed. Franc. Omnes id condocent, perpetuo Cranmerum emendatae religioni adhaesisse, eandemque veritatis confessionem luctuosa morte confirmasse.

XIX. *Iaacus*, vel etiam *Ferdinandus Cardoso*, *Medi.* *Is. Cardoso.* Hispanus, non vulgare arte sua nomen indeptus, defectione ad Iudaeos promeruit, ut inter Apostasiae merito suspectos referatur. Natus erat Celorici, Beirae provinciae oppido, parentibus, ut quidem credebantur, Chri-

stianis, rectius, Christianam religionem simulacibus, a quibus cum in auita doctrina confirmabatur, tum simulationem docebatur, inter semi Christianos Hispaniae cultores frequentissimam. Quam personam ita callide agere poterat Cardoso, vt Pincianus artis Medicæ Professor constitueretur. Mox Madriti morbis prostratos consiliis adiuuit, &, cum Medicinam feliciter faceret, valde inclaruit. Pertaesus tandem illius vitæ rationis, Hispania profugus, religionem deserebat, ac ad Synagogam Venetam, abiecto priore Ferdinandi nomine, Iudaismum professurus, accedebat. Ita Nic. Antonius Biblioth. Hispan. Nouæ T. I. p. 283. significauit. Accidit hoc circa medium Sec. XVII. non immerito conuicente *Basnagio* Hist. Iud. T. V. p. 1907. Causas detractionis, simul ac defensionem Iudaismi dedit in Tractatu Hispanico: *Las Excellencias de los Hebraeos.* a) Qui idem aliis etiam libris ingenii dexteritatem, doctrinaeque apparatus comprobauerat. b) conf. Bartoloccium Bibl. Rabbin. T. III.

XX. Iun.

a) prod. lib an 1679. mole quidem mediocri, totus in defensionem gentis Iudaicæ conscriptus est, cuius immunitates, priuilegia, & prærogatiuas magnifice extollit, iudaicis responsionibus ad obiectiones, fieri contra Iudæos solitas. Verum luculentius librum hunc, qui Bartoloccii diligentiam effugit. V. Cl. I. C. W. explanabit, cuius *Bibliothecam Rabbincam*, ad quam digne & eleganter instruendam, ab omnibus subsidiis est instructus, auidè expectamus. b) edidit Tractationem de *Febre Syncopali, controuersis, historijs, obseruationibus referam.* Madr. 1634. 4. 2) *Hispanice Utilidades del agua, y de la niene, del beuer frio, y caliente* i. e. de utilitate aquae, aut niuis, de potu frigido, vel calido. ib. 1637. 3) de *philosophia libera*, quem librum *Letus* allegat apud *Konigium* in Bibliotheca,

XX. Iungimus, Cardoso Judaeum alium, *Bened. a* BEN. a CA-
Castro non felicius res suas subducentem. Natus is erat STRO.
 Patre Roderico, Lusitano, artis salutaris Doctore, a va-
 riis ingenii monumentis nominis celebritatem consecuto,
 qui Hamburgi medicinam ad annum vsque 1010CXXVII,
 ipsi emortualem, fecit. Iuuenis Christianam sequebatur
 religionem, a qua posterioribus vitae diebus ira defecit,
 ut in Judaismum denuo relaberetur, diemque suum su-
 premum in eadem societate obiret Hamburgi 1010CLXXXIV,
 ut Auctor est V. Cl. Jo. Mollerus in *llag. ad Histor. Cher-*
son. Cimbr. P. II. p. 96. Magna apud *Gudium, Ἰου πολυμα-*
θεύταρον, ob linguae latinae peritiam singularem, vale-
 bat gratia, qui artis quoque suae scientiam *Christinae, Go-*
thorum Reginae, ita comprobaverat, ut in Archiatrum ad-
 feisceretur. Opportune etiam nobis succurrit *Isaacus O-*
robis a Castro, Judaeus Hispanus, qui cum in Hispania
 versaretur, Baltharis habuit nomen, vel ex historia Spi-
 noziana a) & colloquio, cum *Phil. Limborchio* suscepto,
 b) notissimus. Parentes, in Hispania Christianismi speciem
 prae se ferentes, eandem personam filium induere curabant,

Is. OROBIUS
 CASTRO.

F 3

quam
 a) Inter illos, qui Spinozae systema profligarunt, non postre-
 mum locum occupat *Io. Bredenburghius*, Textor Rottero-
 damensis, cuius liber tipis *Is. Nerani* non. an. 1705. ut viti-
 ose ap. *Colerum* in *vita Spinozae* legitur p. 133. sed 1675.
 sub hoc tit. prodit: *Enervatio tractatus Theologico-Poli-*
tici, una cum demonstratione, Geometrico more &c. Bonus
 tamen Vir atheismi suspensionem ipse incurrebat, mo-
 tam a *Fr. Cupero*, *Alberto de Verse*, ac *Is. Orobio* hoc-
 re, contra Bredenburghii principia *Certamen suum Phi-*
losophicum Amstel. euulgante 1684. b) id quod non diu
 ante obitum cum Limborchio habuit, qui *Acta* etiam col-
 loquii publici iuris fecit in libro supra citato: *Amica colla-*
tio cum erudito Iudaeo.



quam etiam hic ita feliciter agebat, vt Metaphysicae Lector publicus in studio Salmanticensi constitueretur. Hispani tandem medicam artem profitebatur, neque tamen animi sensa recte dissimulabat. Quare ab Inquisitoribus in carcerem coniectus, integros tres annos carceris iniquiores molestiasque ferebat. Tandem aculeo impositus, omnique exquisitissimorum cruciatuum generi subiectus, mira pertinacia veritatem suppressit, & cum constanter Christianismum profiteretur, dimissus, Tholosam commigravit, cumque Metaphysices esset peritissimus, in Prof. illius artis P. euasit. Postea Hispania protugus, Amstelodamum contendit, ac sacris Iudaeorum solempni circumcissionis ritu est initiatus, maximumque sui desiderium Iudaeis reliquit, cum A. C. 1687. rebus humanis eximeretur. conf. Jo. Clericum T. VII. Biblioth. Vniuers. p. 248. seq. & Jac. Basnagium T. V. Hist. Jud. p. 2113. seq.

FR. ALBERTVS
CHRISTIANVS.
ANVS.

XXI. *Fr. Albertum Christianum* silentio praeterire non possumus, cuius viri studia, voluntas, fataque confirmant πολυθεϊστικόν illud R. Salomonis apud *Gentium*: *a)* *Judaismus morbus est insanabilis.* Magna de ipso sibi pollicebantur Viri docti, qui tantam pietatem prae se ferre videbatur, tantam in retinenda puriore doctrina constantiam, tantumque in asserenda contra Iudaeos fidei, noque susceptae, veritate teruorem. Docebat propterea litteras Rabbinicas in Celeberrima Lipsiensium Academia, studiaque sua *Carpzouio*, harum litterarum existimatori egregio, ita commendabat, vt multa ille in laudem & commendationem Christiani sui scriberet, *b)* Imo publico scripto, *c)* in gratiam Iudaeorum composito, non vul-

a) in Hist. Iud. p. 349. circa fin. *b)* in *Theol. Iudaica* c. XI. *c)* *Epistolam ad Ebraeos* Hebraice conuertit, pure nitideque, vt iudicat *Carpzouius* l. c.

vulgarem Christianorum gratiam inibat, qua tamen prorsus excidit, cum mores indueret, homine pio indignos, aes alienum ita contraheret, vt soluere non posset. pastorj pagano ecc Imperiales auferret, & clam Lipsia se subduceret, vel Viennam, vt rumor erat, perrecturus, vel ad Judaeos denuo transiturus, id quod ego suspicor. Saltem rescire nemo certo potuit, quorsum contenderit Christianus, aut vbinam confederit? Adeundum sualem *Schudtium* in *Hist. Jud.* p. 512. qui & de aliis ad Judaeos reuersis, cuius collectio ex *Dieffenbachio de Iud. Conuerso* p. 128. seqq. *Heluico in Elenchis Iudaic.* p. 210. ed. Cren. & ipso *Th. Crenio* P. VIII. *Animadu.* c. 3. p. 217. non parum augeri poterit.

XXII. *Coelicolarum* vt mentionem aliquam faciamus, opera forte pretium, & instituto fuerit conueniens, siue quod ipsi fuerint Apostatae, & a Christianis ad Judaeos dilabentes, vt *Baronius* coniectatur, quamuis inteliciter, ad A. C. ccccviii. N. XXVI. siue quod alios Apostasiam docerent, cogerentque, *foedum Iudaeorum nomen induere*, vt Imperator loquitur L. XVI. Cod. Theod. Tit. VIII. L. XIX. p. 235. Superuacaneum forte fuerit, monuisse, Coelicolas a cultu, non vero incolatu coeli nomen accepisse, in quem posteriorem sensum Glossae exhibent: *Ὀυρανοκράτορας, Coelicola.* Nec aliter Theologi Gentiles, qui Deos suos *ἐγκοσμίαις, ὑπεγκοσμίαις* quos opponebant, Coelicolas nominare solebant. Quorum D. Augustinus de C. D. L. X. c. i. *Deos non ob aliud*, inquit, *appellant Coelicolas, nisi quod Coelum colant: non utique venerando, sed inhabitando, tanquam Coeli quosdam colonos.* Verum ita vox hic non sumitur, perinde vt nec in significatione a *Cangio* in *Gloss. Lat.* p. 1144. explicata. Nobis enim Coelicolarum nomine venit hominum secta, qui,
Sec.

COELICOLAE

Sec. V. initio exorti, Honorium Imperatorem commo-
uerunt, vt publicis legibus in illos animaduerneret. Ita
superstitione sua noua, audaciaque, ac sectae absurdi-
tate, quae tamen per Africam diffusa, noua subinde incre-
menta capere videbatur, Auctore *Augustino* Ep. CLXIII
animum *Honorii* concitauerant. Neque tamen vel Ju-
daei, vt alii, vel Haeretici, vt rursus nonnulli, fuerunt,
vtorumque enim nec nomen, nec superstitione noua erat,
neque haeretici esse possunt, qui ab haeticis distinguun-
tur, recte monentibus Jac. Godofredo in Not. ad Loc.
cit. & Spanhemio in Hist. Eccles. Sec. V. T. I. Op. p. 1053.
Parum vero abest, quin credam, Iudaeis originem de-
bere Coelicolas, quorum superstitioni ritus quosdam
Christianos, nominatim baptismum quendam ieiunium &
deprauatum iungebant, ita enim Augustinus refert: *Miseramus*
NOVI apud eos BAPTISMI institutorem. Religio ita fuit mi-
scella, ex Iudaica, Paganaque conflata, intermixtis qui-
busdam ritibus, qui Christianismum redolerent. Si da-
tur suspicioni locus, putarem, Coelicolas sobolem esse
ὄψισαρτών, quos Hefychius αἰρεσιν appellat τῶν τὸν ὄψισον
σεβομένων. Vtrosque enim in multis conuenire video,
prouti Hypsistarios describit Gregorius Nazianzenus
Or. XIX. quae funebris Patris laudatio est, p. 189, qui so-
lus fere ex antiquis illorum meminit: *ρίξης ἐγένετο ὁ πα-
τήρ βλάστημα ἐκ ἑκαμετήης, ἔδδ' ἐν τῷ οἴκῳ τῆ θεῆ πεφύτευμένης,
ἀλλὰ καὶ λίαν ἀνόπυ, καὶ ἀλλοθίου ἐν θυοῖν τῶν ἐναντιώτατον συγ-
κεκράμμένης, ἐλληνικῆς τε πλάνης, καὶ νομικῆς ἱερατείας. ὧν ἀμφο-
τέρων τὰ μέρη Φυγῶν, ἐκ μερῶν συνέβηθη. τῆς μὲν γὰρ τὰ εἶδωλα,
καὶ τὰς θυσίας ἀκοπεμπόμενοι, τιμῶσι τὸ πῦρ. τῆς δὲ τὸ σαβ-
βατον αἰδόμενοι, καὶ τὴν περὶ τὰ πρόβατα* (Si locus tamen in-
teger, nec, quod, vereor, in mendo cubat, praeferen-
dam

dam puto, quam alii substituunt, vocem βρώματα) εἰς ἑ-
 να μικρολογίαν τὴν περιτομὴν ἀτιμάζου. ὑψίστοις τοῖς ταπει-
 νοῖς ὄνομα, καὶ ὁ παυλοκράτωρ μόνος αὐτοῖς σεβάσιμος. Appa-
 ret, ni tallor, ex his Gregorii Nazianzeni verbis simili-
 tudo, quae Coelicolas inter & Hypsistarios intercessit,
 nisi quod illi baptismum noue adiunxerint, & ita Christi-
 anos se simulauerint, qui cultu τῆ ὑψίσε, שבת a Judaeis
 appellati, & obseruatione Sabbathi, ac aliorum rituum
 CVLTVM DEI, venerationemque Christianam turbauerant, vt
 legis verba habent. Ita etiam non difficulter nominis
 ratio reddi potest, solenni enim Hebraeorum locutione
 Coeli nomen Numini ὑψίσεω tribui, in vulgus notum, ex-
 ploratūque est, quibus praeterea in vsu positum erat,
 ἐν αἰθρίω τόπω preces fundere, & omīssis templis quocunq;
 in aperto precem ad coelum mittere, vt Tertullianus perhi-
 bet in de Pudicitia c. xvi. Forte ignis, perinde vt Hy-
 psistarii, cultum cum summi, & Omnipotentis Numi-
 nis veneratione coniunxerunt, qualem veterum & recen-
 tiorum Perlarum cultum descripsit Th. Hydus in lucu-
 lento de Religione Vett. Perlarum commentario. Itaque
 ipso opere demonstrarunt, quod Iuuenalis obtrektor de
 Judaeis generatim Sat. xvi. v. 96.

Nil praeter nubes, & Coeli lumen adorant.

Saltem maiori haec veri specie se commendare videntur,
 quam Petiti suspicio, in Var. L. II. c. II. p. 178. prolata, ac
 si Coelicolae ab immutata baptismi forma nomen retu-
 lerint, non in nomine sanctissimae Trinitatis ab illis, verum
 Coeli administrati, de qua tamen baptismi dispensatione
 tacent illi ex Veteribus, qui nonnulla de Coelicolis mo-
 nuerunt. Quicquid tamen huius sit, ex dictis consequi
 putamus, apostasiam a religione Christiana Coelicolis ob-
 iici non posse, quamuis eo se effrenata Coelicolarum au-



❁ (o) ❁
 dacia iactauerit, extuleritque, vt nonnullis Africae partibus, vbi viribus, & numero maiores Christianis erant, hos vi ad sacra sua pertrahere auderent, multosque sacrilegio suo seducerent. conf. Pagium in Crit. Baron. ad A. C. 408. Jac. Godofredum, doctissime de Coelicolis agentem, l. c. Cunaum de Rep. Hebr. L. III, c. 6. Voetium Disp. Sel. P. II. p. 98. qui inter Semi Judaizantes refert, praeter alios vel Historiae Ecclesiasticae, vel Antiquitatum Judaicarum Scriptores.

IUDAEI ¹Emi-
 * 77051201.

XXII. Judaeorum multos, doctrinaeque laude notos, partim Antiochi Epiphani tempore, partim sub Romanorum iugo, partim aliis etiam temporum periodis, ad Ethnicismum defecisse, & exempla, & Magistrorum querelae euincunt. Nolumus quidem regnum Saracenicum attingere, quo multi e Judaeorum gente ad Philosophiam Ethnicam defectionem fecerunt, quod iis *leges Moisaicae haud paucae prorsus inutiles, & superuacaneae videntur*, vt e Guilielmo Parisiensi notat Spencerus de L. L. Rit. L. II. c. III. p. m. 372. nec illos afferre, quos nugatores Iudaei communi ימימי nomine designant. ¹) De *ἐπιπασιν* vt vulgo dicuntur asturi sumus, qui genus, & progeniem suam mentientes, medica arte, instrumentisque praeputium ita attrahere callebant, vt veteris circumcisionis vestigia vel nulla, vel exigua amplius extarent. Ita enim non doctrina tantum, sed corporis etiam habitu Graecorum, Romanorumque similes esse volebant, pudebatque illos stigmatum, cum praeputia sociorum integra, nec discissa viderent. De filiis Tobiae tale quid a Iosepho Antiqu. L. XII, VI. relatum meminimus, qui, postquam

¹) de Voce *Min* accuratissime, vt soles, harum literarum intelligentissimus Georg. Eliez. Edzardus commentatus est in Not. ad Auoga Sara p. 253. seqq.

❖ (o) ❖

LI

quam religionem Regis Antiochi, & ritus Græcicos
 assumpserant, & τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐκάλυψαν, ὡς ἀν
 εἶεν & τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν ἔλληες. Quamvis forte nobis
 monitoribus non opus sit, illum præputii ἐπισπασμὸν non
 semper defectionem inferre, ita *R. Achan* sibi præputium
 denuo faciebat, vt *R. Albai*, eruditus gentis Judaicæ,
 doctor, retulit, a) multique, Barchozbae fraudibus de-
 mentati, eo consilio spatthere pelliculam attrahebant, vt
 circumcidi denuo possent. Inualerat etiam ille mos pri-
 mis Ecclesiae temporibus apud Iudæos quosdam, qui,
 Christianam fidem amplexi, glandulam vi. nec sine do-
 loris sensu obtegebant, reprehensi hoc nomine a *D. Paulo*
 I Cor. vii, xviii. qui intempestium illum pruritus, veteris
 religionis vestigia delendi, ferre nolebat. Inprimis illis
 consuetudo ea recepta erat, qui a Samaritanis ad Judæ-
 os, vel ab his ad illos transierunt, id quod exemplo suo
Symmachus confirmat apud *Epiphanium* T. II. p. 172. Ve-
 rum plura dicenda restarent, nisi ea a *Steph. Le Moyne*
 in Var. Sacr. p. 764. seqq. *Leusdeno* in *Philol. Hebraeo mi-*
xto Dissert. xvii. & *Groddeckio*, τῶ μακρυτῆ in disput. aliquot
 de hoc argumento Lipsiæ habitis, essent occupata. Ante ve-
 ro, quam hinc discedamus, ex *Josephi* Antiqu. L. xii, c. vii. Sa-
 maritanorum defectionem notamus, qui non satis haben-
 tes puriorem cultum aequè interpolasse, ac inquinasse, in
 apostasiam delabebantur, cum, Antiochi Epiphaniis victri-
 cibus armis perculsi, templum in monte Garizim splendido
 opere exstructū Δὴ Ἐδνηίω, & Ἐνίω sacrum esse iuberent, cul-
 tumq; non minus, quam habitum Græcorum induerent, &
 imitarentur. Peculiare huius defectionis monimen-
 tum ex numo dabit *Illustris Spanhemius* de VI. & Pr.
 Num. Diff. V.

G 2
 a) in Excerpt. Gemar. Sanh. VI, 2.

xxiii. Jam

XXIII. Jam ad *Iulianum* Imperatorem accedimus, in quem plurima animi, virtutis, fortunaeque bona vel a natura, vel ab ingenio, vel a doctrina, plurimaeque vicissim a praepostero illorum vitia mala confluerunt. De illius superstitione effusa, ingenio leui, facundia tamen, verborum structura, delectuque singulari perpolita, ac maiestate, & lepore Attico condita, doctrinaeque diffusa & recondita, vti nemo forte dubitauit, ita vicissim a doctissimis viris in dubium relatio vocata est, quae Iulianum infauista cuiusdam *παράβαστος* arguebat. Etsi autem species non desit suspicioni huic, malimus tamen, se in vtramque partem probe considerata, illorum accedere iudicio, qui, Imperatorem merito *ἀνοσιότας* suspectum esse, contendunt. Initio enim causa apparet nulla, cur testium & grauisimorum, & fide locupletiss. auctoritatem, fidemque susque deque habere, aut nugacis cuiusdam relationis velimus postulare, cum illorum fide in reliquis non illibenter stemus, & in bonos viros suspicio fictionis, aut tantae falsitatis non cadat. Ipse Iulianus *ἀνοσιότας* sibi quotidie exprobrari videbat, Libanius, qui Iulianum super vixit, idem discipulo obiici, non ignorabat, tantum vero aberat, vt vel hic, vel ille falsa, & mendacia esse, scripserint, quae de *ἀνοσιότα* Iuliani publice, & priuatim dicebantur, vt potius ad laudes Imperatoris retulerint, miscellum, & simplicem Christianorum coetum quod deseruerit, & Libanio fuerit obsecutus, qui nulli se pepercisse sumptui, scribit, nulli operae, vt in *Iuliano serere fruges posset, quas vellent*. Huic enim cum Iuliani ingenium formandum traderetur, nunquam cessauit, vt animum Imperatoris vanis declamationibus deliniret, sensim a simplicitate Christiana abstraheret, sacraeque Graecorum, & superstitionem veterum, quorum libros diligenti manu versabat, commendaret. Enim vero,

vero, cum vetuisset Constantius, ne Iulianus adiret Li-
banium, hic, tabellario magna mercede conducto, super-
stitutione non Athenis, vt aiunt vulgo, sed Nicomedie, vt
ipse commemorat, absentem illum imbuit, iuxta ac cor-
rupit. Praeterea Iulianus ipse dubitare amplius nos non
finit, qui defectionis suae causas redditurus in limine O-
peris contra Rel. Christ. conscripti, & a Cyrillo Alexan-
drino in fragmentis conseruati L. II. p. xxxix ed. Lips. κα-
λῶς ἔχειν, inquit, μοι φάνεται τὰς αἰτίας ἐκθέσθαι πᾶσιν ἀν-
θρώποις, ὅφ' ἂν ἐπέθην, ὅτι τῶν Γαλιλαίων ἡ σκευασία πλάσμα
ἔστι ἀνθρώπων, ὑπὸ καύσεως εὐσηθέν κ. τ. λ. i. e. Operae pre-
tium mihi videtur, cunctis mortalibus CAUSAS EXPONERE,
quibus adductus sum, vt crederem, Galilaeorum sectam esse
commentum humanum malitiose confictum &c. Quae verba
euidenter satis defectionem loqui videntur, inprimis si
cum sequentibus & Cyrilli responsione componantur.
Quid enim, quaeso Te, illa sibi verba aliud volunt, quam
vt doceret, se non sine causa in commutationem sacro-
rum consensisse, Christianorum se disciplinam deseruisse,
non impetu quodam, aut prece, sed post diuturnum, &
exactum, si credere fas est, examen. Neque porro prae-
tereundam putamus testimonium Gregorii Nazianzeni
cordatissimi Doctoris, quod ex Inuest. I. in Iulianum p. 58.
excerpimus. Ἐχρῶντο δὲ τῇ κατ' ἡμᾶς Φιλοσοφίᾳ πλέον - τῷ
μὲν γε κληρῷ φέρουσι ἐαυτοὺς ἐγκρατέστερον, ὥστε ἢ τὰς θείας ὑ-
παναγνώσκουσι τῷ λαῷ βλάπτες, ἄνευδ' ἐκκλήτον εἰς θεῶν ἀνοσί-
τητο εἶναι νομίζοντες, ἀλλὰ ἢ πάντων μείζον καλλώπιστα τὴν εὐ-
σέβειαν, i. e. Praecipuo vtebantur Iulianus & Gallus Philoso-
phia Christiana - Clerique ordini accedebant, ita vt & S. scri-
pturam populo praelegerent, hoc ipso nihil detrabi rati digni-
tati suae, cum pietatem esse omnium praestantissimum orna-
mentū putarent. Cum vero Lectoris munere functus sit Iuli-

G;

anus,

anus, sua consequitur iponte, religioso baptismi ritu externa Christianorum communioni illum accessisse. Id quod etsi ulteriori probatione non indigeat, iuvat tamen locum ex *Gregorio* denuo allegare illustrissimum, qui ibidem reperitur. *Δίμασι μὲν ἔχ' τὸ λυτρὸν ἀπορήσειται, ἢ καὶ ἡμῶς τελευάσει, τὴν τελευάσει τῶ μύσας ἀνιτεθεῖς.* Accedit Galli, fratris Iuliani, disertae epistola, operibus Iuliani adiecta, & non nisi temere *νοθείας* suspicione onerata, vt ostendit la Croze, b) p. 454. Op. Iul. Cuius locum integrum damus. *Ἦκεν εἰς ἡμετέρας ἀκούσ ἀποσῆναι μιν σε τῆς προτέρας θρησκείας Ἰῆς ἐκ προγόνων παραδοθείσης, ἐπὶ δὲ τὴν μάταιον δεσπιδαιμονίαν ἑλληλακέναι - Ἐπὶ τέτοις ἀνώμενόν μιν ἡ παρησία τῶ πατρὸς ἡμῶν λέξις εὐφραίνει, ἀπαγγέλλοντος μὲν ἐναντία, ἡμῖν δὲ ἐνυσία. Καὶ γὰρ σπευδάξεν σε ἐφ' εἰς οἴκους ἐυχῶν - ὅπως δὲ ἐχέσθαι διεβέβαιετο Ἰῆς θεοσεβείας τῶν ἡμετέρων.* Quae de externa Christianismi professione a Iuliano eo tempore culta, perspicue admodum restantur. Compone cum his, quae Crozius l. c. erudite commentatus est, cuius industriae nos multum debere, grati profitemur. Comparata etiam Viri doctissimi *Observationem*, quae T. III. Ob. Hal. p. 185. legitur, cui tamen in capite rei a nostra vulgariq; sententia dissentire, placuit. Quod ad tempus defectionis attinet, id difficulter definiri potest, credo tamen, institutionem, & consuetudinem nimiam cum Libanio Principi nocuisse, & ex hoc tempore prima impietatis semina; animo illius esse inspersa. Saltem a religione iam ante delciverat, quam Regnum capefferet, vt partim Ammianus Marcellinus testatur L. XXI, il. p. 206. *Vt omnes, nullo impediante, ad sui favorem alliceret, adhaerere cultui Christiano fingebat, a quo iam pridem occulte desciverat arcanorum participibus paucis.* partim ipse Iulianus exponit, cuius in *Epist.* ad P. S. Q. Atheniensem, qua vitae cursum enarrat, sequen-

b) lib. saepius laud p 78.

quentia sunt verba p. 277. Postquam enim suam ad Gentilissimum propensionem descripserat, & quam res suas clam ob pericula, a parente imminencia, egerit? ita subiicit: Μόλις ἠδυνήθην οἰκίας ἐμαυτῆς τέτταρας, παιδάρια μὲν δύο, κομιδὴ μικρὰ, δύο δὲ μέζονας εἰς τὴν αὐλήν οἰκειότερόν με Σεραπεύσσοντας εἰσαγαγεῖν. ὧν εἷς μοι μόνος καὶ τὰ πρὸς θεοὺς σουειδώς, ἔως ἐνεδέχετο, λάθρα συμπράττων. κ. τ. λ. Vix ego servulos 4, quorum duo erant parvuli, ceteri grandiores, ad interiora obsequia mecum in aulam adduxi, quorum unus dumtaxat susceptae a me erga Deos pietatis conscius, & clam, quoad licebat, adiutor exiit, &c. Ita callide animi sensus tegebat, vsque dum obtento, firmatoque regno, apertius & ambitiosius proferebat. De reliqua Iuliani vita, virtutibus, vitiis nihil addimus, partim quod sint ab hoc loco aliena, partim iam in vulgus nota, & multorum monumentis, ac commentariis obuia. finimus verbis Spanhemii, Editoris Op. Iuliani Illustris, in praefat. a. 2. *praeteps in Iuliano ingenium, iniquis animus, testata in Incessu, sermone, obrutu levitas, cupido laudis immodicae; vanissima insuper nefaria perscrutandi libido; ac nata inde paulatim a pietate, a religione, cui innutritus fuerat, ab alienatio primum, tum clandestina, mox aperta desertio & immanis infestatio. ut eorum religionem tentaret confundere, sanctissimis praeceptis illuderei, veritati, cui litauerat, cui sacramentum dixerat, cuius, seu sacerorum, quibus eadem est consignata, librorum fuerat haud ita dudum publicis instatibus piorum conventibus anagnostes, in expiabile bellum indiceret.*

XXIV. Iulianum excipiat *Lucianus*, gente Syrus, patria Samosatensis. Huius ut paucis mentionem iniiciamus, fecit vetus Interpres, qui passim confirmat, Lucianum Christi sacra aliquando amplexum, ad vomitum postea erubescendo *παραβασίας* exemplo rediisse. Ita inter alia in

LUCIANVS.

Scho-



Scholiis ad mortem Peregrini T. II. Op. p. 45. οἱ αὐτοὶ, inquit, ὡς κατέλατε, κατὰ τῆς σωτηρίας χριστοῦ, ὅς ἡ τέτις ἐνεκεν ἀθανάτου σε παραδώσει καλῶσαι, ὡς παραβάτην, ἢ τὰ ἡμέτερα διασύροντα. Verum fallitur Scholiastes, recte enim Burdellotius apud Fabricium Bibl. Graecae L. IV, c. XVI. mendacis credere dicit, qui Christianum fuisse Lucianum, arbitrantur, cui asserto multam fidem facere possemus, si in remanifesta copiosi esse vellemus. Saltem ex nullo Luciani loco comprobari potuit, vel delectatum illum aliquando fuisse religione nostra, vel eam postea deseruisse. In *Ἐπιτομῇ*, quo praecipua vitae suae momenta consignavit, huius defectionis nec vola, nec vestigium, reliqui etiam scriptores id omiserunt, quod in re adeo notabili facturi minime erant, unde non immerito argumenta contra Interpretem depromsit Tillemontius in praeclearo de Imperatoribus Opere T. II. p. 709. Fallitur enim Spanhemius H. E. p. 695. quando a Suida etiam Lucianum Christianum & Sacerdotem Antiochenum dictum esse, ait. Id quod apud ipsum Suidam non legitur, qui nostrum Lucianum contra morem, sibi ceteroquin familiarissimum, recte a Luciano Martyre, Viro *ἐκ τῶν ἐν γεγοτότων*, distinguit, secus, ut denuo ille putavit. Illud tamen satis evictum nobis videtur, quod & probe perspexit laudatus interpres, pungere interdum, & vellicare Lucianum tum omnes ritus, historiasque Christianorum, tum praecipue illas, quae in sacris literis continentur, ex quibus etiam voces soleannes allegat, ut exagitet, rideatque, ac christianis illudat, non vero, ut probet, & tanquam *ἀπικωτέρας* iudicet, id quod praecipitanter admodum Pfochenius existimavit in Diatr. de Puritate Linguae Gr. N. T. Sect. LXV. correctus a Gatackero de stilo N. T. p. 50. Op. Crit.

Vir audax & temerarius, & apostasie merito suspectus. Lucem ille in Lusitania aspiciebat parentibus, ut videri volebant, Christianis, ac sacro baptismi fonte initiatus, in fide Ecclesie Pontificie educabatur, ipsique Lusitanorum Regi a scribis erat. Ita enim recitit R. Gantzius in *Zaemach David* p. 61. רבי שלמה מורכו גר צדק מאונסי *R. Salomo Molchus Profelytus iustus de exactoribus Portugalliae. scriba erat Regis, circumciscus vero &c.* Seducebat hominem miserum *Dau. Rubenita*, qui e Regione Tribuum tunc advenerat. Hinc clam circumciscus, Davidique iunctus, Turcici Imperii varia regna, & Italiam pererrabat. Tanta vero ingenii felicitate pollebat, ut legis, cuius a iuventute imperitus fuerat, abditos, reconditosq; recessus brevi & ipse intelligeret, & alios in Italia, & Togarma, ut idem Gantzius l. c. id est, explicante *Schickardo* in המלך משפט המלך c. v. p. m. 127. Turcia publice doceret, libroque, quem scribebat, Calbalistico ostenderet, nec subtilitatum illarum se esse imperitum. Cum vero Judaeorum stupidi- ores mirabiles illos in litteris progressus capere non possent, Malcho, ut pretium rei, sibi auctoritatem conciliaret, colloquia Angelorum iactabat, ex quorum suavissimo consortio tot, tantaque didicisset. Nec ibi; subsistebat proterva fingendi libido, quin praecursorem etiam se Messiae, mox venturi, diceret, stolidamque Judaeorum plebem vana expectatione teneret suspensam, prout ex *Gedalia*, Magistro, refert *Wagenseilius* in *Tel. Igu. Sat.* p. CCXXXIX. Imo eo temeritatis procedebat, ut Carolum V. Imp. Mantuae commorantem, convenire cuperet, cumque copiam sui faceret Imperator, illum ad partes Judaeorum pertrahere, audacissime sustineret, id laboris praemium referens, ut, flammis adiudicatus, vi-

H

vus



aus Mantuae igne exureretur, A. O. R. ∞ 15XXXIII. freno prius ori Malchi admoto, ne quid eloqui posset, vt ex eodem Gantzio *Schickardus* l. c. significauit, cui iungi potest *Basnagius* Hist. Iud. T. V. p. 2022.

AD. NEUSERI.
RVS.

XXVI. *Ad. Neuseri* defectio & foeda & abominabilis nunc in memoriam reuocanda erit. Vitam eius breuiter, sed, vt facere solet, corrupte *Christ. Sandius* complexus est, 1) quem tamen *Steph. Lubienicius* fingendi licentia superauit in *Historia Reform. Polonicae*. 2) Proinde ex aliis monumentis Historiae Neuserianae lucem foenerabimur, cuius praesidia frustra ab hominibus expectes, quorum fides in tradendis Socinianorum rebus merito suspecta, ac a Cordatoribus explosa est. Natus erat *Ad. Neuserus* in Sueuia, Parentibus Christianis, iisdemque Lutheranorum Sacris addictis, quae tamen sponte cum *Io. Caluini* doctrina commutabat, cum spem sibi affulgere videret, Sparta Ministri Ecclesiae honesta apud *Heydelbergenses* potiundi, qui ad populum, in aede *S. Petri* conuenire solitum, stans temporibus verba publice faceret. 3) Licet vero gratia *Neuserus* apud populum valeret, quem oris facundia sibi deuinxerat, cum tamen turbulentior esset, & cum *D. Ursino, Oleuiano*, aliisque subinde altercaretur, imprimisque *Friderico III*, emendationem rituum quorundam in ecclesiis Palatinis, ad formam disciplinae Geneuensis, per *D. Oleuianum* redigendorum, tentanti, impudentius se opponeret, loco motus priore, ministerium vilius, in Templo interiori, cui a *Spiritu S.* nomen adhaerebat, certas precationum formulas praelegendi, subire iuebatur. Indignissime id ferebat

1) *Biblioth. Anti Tr.* p. 61. 2) *Hist. Reform. Polon.* p. 198. 3) *Altingius* Hist. Eccl. Palat. p. 206. ex quo sequentia etiam deprompta,

bat Neuserus, nihil prius, antiquiusque habens, quam vt iniuriam hanc, ita enim poenam sibi inflictam interpretabatur, quacunque demum ratione vel posset, velliceret, vlcisceretur. Nulla re vero magis aegrefieri posse Heidelbergensibus Theologis, credebat, quam si Socinianis se adiungeret, quorum res eo tempore in Transylvania, Blandrata Auctore, sic satis secundae videbatur, quorumque controuersiae in Ecclesiis Helueticis, & Palatinis, post interemptum Seruetum, magno seruore agitabantur. Proinde amicitiam cum *Io. Syluano*, Inspectoro Ladeburgensi, contrahebat, *Matth. Febium*, Diaconum Lutrensem, aliosque opinionibus Socinianorum imbuebat, & cum *Georg. Blandrata*, notissimo Sociniano, litterarum instituebat commercium. Mox consilium capiebat, in ignominiam Nominis Christiani, ad Turcas cum vxore, & liberis descendi, a quorum liberalitate id sibi pollicebatur, vt vitam honeste, & laute, ac omnibus voluptatum copiis affluentem, posset transigere. Significabat mentis suae corruptae sensu *Io. Syluano*, & *Blandratae*, vterque ita Neuserum in sententia obfirmabant, vt ille litteris longiusculis ad *Selimum II. Imp. Turcarum* scriptis, nec sine exquisito intensissimi doloris sensu legendis, defectionem suam Imperatori significaret, humanissimeque copiam peteret, & doctrinam Mahomedis, de quo magnifice iudicat, amplectendi, & eandem scriptis contra fidem Christianorum, conuictis variis ab homine *βλασφημῶντι* profcissam, propugnandi. Ista vero Epistola fato quodam 4) in manus Imperatoris, inde

H 2

Pala-

4) Res ita sese habet. Indixerat Imp. Maximilianus II. an. 1570. Comitia Imperii Spiraе Nemetum, euocatis eo Electoribus, ceterisque Imp. Ordinibus. Aduolabat ibi-

dem

Palatinorum Principis, incidebat, qui, ex epistolae le-
ctione, non defectionis modo, sed rebellionis etiam &
periculi in Principem significationibus refertae, commo-
tior, praeuaticorem cum complicibus *Io. Syluano, Matth.
Vehio, & Jac. Suter*o in vincula coniectum, in capitale vo-
cabat iudicium. Ex qua tamen captiuitate post aliquot

in-
dem Beckefius, Io. Sigismundi, Transyluaniae Principis,
Legatus, vt cum Caesare de ineundo foedere ageret. Il-
lum vero Beckefii aduentum cum percepisset Neuserus, ne
opportunam occasionem, destinata exsequendi, elabi pa-
reretur, Spiram contendit, Legatoque litteras, ad Turca-
rum Imper. perferendas, tradidit, commendauitque. Ab-
nucnti inter haec Imperatori, foedus cum hominibus per-
cutere, qui Deitatem Christi negarent, respondebat Bec-
kefius, eandem fidem praestantissimos Germaniae Theo-
logos, illustresque Principes fouere, ac in documentum
asserti Neuseri epistolam producebat, ac legendam Impe-
ratori offerebat, a quo postea El. Palat. accepit. Hic ve-
ro, cognita rei causa, protinus Ad. Neuserum, Jo. Sylua-
num, Matth. Veho, & Jac. Suterum per Praefectum Hei-
delbergensem, Hartmannum, carceri includi iubebat. Ger-
manam eam epistolam esse, & *Nodius* immerito suspectam
satis euictum est, nec ipse Neuserus negauit, qui cum in
iudicio produceretur, manum, scriptionemque suam liben-
ter agnouit. Reperitur illa integra, Germanice scripta,
in *Antiquit. Palatinis* p. 337-345. Gallice conuersam ean-
dem exhibet Cl. *Croze* in *Reflex. sur le Mohammed*. p. 105.
seq. Excerpta pauciora suppeditabunt Collectores *Rela-
tionum Innoxiarum* ad A. 1708. p. 800. Meminit etiam
illius Epistolae Sandius p. 61. qui tamen falsus est, cum e-
am an. 1571. scriptam putat, ob quam iam an. 1570. d.
xv. Jul. carceri includebatur Neuserus. Cum Sandii Re-
latione parum fideli iungenda putauimus, quae Altingius
l. c. & *Antiquit. Palat.* p. 310. in contrarium monuerunt,
quas hic sequimur.

interiectum tempus, non miraculo aliquo diuino, quod
lepide fingit Lubienicius ille, 5) sed arte custodes callide de-
ci-

H 3

5) Iuuat, hic *παροράματα* Lubienicii annotasse: 1) male Neu-
serus appellatur, cuius nomen germanum Neuserus erat.
Repetiit istam Lubienicii errorem Sandius l. c. quem, pas-
sim video sua incautius ex Lubienicio transcribentem. I-
ta uterque, Lubienicius, p. 108. Sandius p. 60. *Io. Sylma-
num, Superintendentem Heidelb. & Ecclesiarum Palat. fa-
ciunt*, sed omnino vitiose, ut dudum aliis obseruatum, 2)
laudes, quas magnificas ob pietatem, eruditionem eximi-
am, & prae-lara merita Nousero tribuit, manifestae adu-
lationis, & falsitatis tum ab Altingio, tum a uita eius reli-
qua, corruptissime acta, conuincuntur. Saltem doctrinam
eximiam frustra in Neusero quaesueris, cuius epistola tot
imperitiae non vulgaris documentis est instructa, & eadem
procul dubio pietas in Neusero fuit, quam in reliquis illi-
us temporis Socinianis, tot elogiis a Lubienicio maectatis,
improbauit nonnemo apud Socinum T. I. Op. p. 227. qui
*vagabundos, contentionum Zeli carnalis plenos, ex lu-
siris, & ganeis prodeuntes appellauit*, nihil solidi ad ac-
cusationem reponente Socino. 3) vehementer fallitur Lu-
bien. quando integrum decennium Heidelbergae capti-
uum fuisse Neuserum, scribit. A. enim 1570. carceri inclu-
debatur, ut vidimus. & ante Syluani supplicium qui 1572.
d. XXIII. Dec. capite plectebatur, iam dudum elapsus ex
carcere erat. 4) ad fabulam proxime accedunt, quae de
liberatione ex carcere, *veluti missa ei, ut Petro Aposto-
lo, Angelo liberatore*, narrat. Maiorem enim fidem ip-
se Neuserus meretur, qui Gerlachio in Diar Turc. inge-
nue confessus est, se satellitem sibi in custodem datum,
bene potatum fecellisse, cui adstipulatur Elector Frideri-
cus ad Principem Wurtenb. sua manu perferbens in A.
P. p. 310. *Der vornehmste unter ihnen Adamus hat neu-
licher Zeit* (scripta est epistola d. XVI. Aug. 1571.) mei-
nes

cupiens, elapsus, fuga salutem quaesivit, pariter ac decretum sibi supplicium occupavit. 6) Quanta nunc poterat velocitate, in Transylvaniam per Poloniam ad Blandratam suum contendebat, verum, cum noster nec ibi, partim ob commutatam rerum faciem, rerum iam potito *Christophoro Bathoraeo*, & inquirente sedulo in Socinianos *Fr. Forgacio*, in locum *Czascii* iussisset, 7) partim quod vitae periculum a Caesare imminere crederet, sibi iudicaret licere esse tuto, pristinum consilium executurus, Constantinopolin perrexit, ibidemque, circumcissione suscepta, Muhammedisnum publice est professus. Qualem se ibi gesserit, *Steph. Gerlachius*, testis locuples, & *αὐτόματος*, condocerit, cuius verba in *Diario Turcico de Neufero* passim obuia de dissoluta apostatae vita, inquinatissimoque morum genere testantur. Qua pessima sua, omnique vitiorum coeno polluta vita nec ipsis Mohammedanis placere potuit, qui communi nomine *Saetan Ogli* i. e. filium Satanae, teste *Budowitzio* in verbis infra apponendis, appellabant. Vitam miserrime finiit homo infelix,

qui
*nes Abvvesens meiner Trabanten einen, so neben andern
 uff ihn gewartet, dahin beredet, daß er ihme, wie derselbige selbst bekant, aus seiner Verhaftung geholffen &c.*
 5) falso p. 168. narrat *Lubienicius*, litteras *Neuferi* a *Maximiliano* esse interceptas, contrarium enim antea patuit.
 6) Socii enim multabantur, nec dubium, quin eundem vitae exitum fuerit nactus, quem *Sylvanum* subiisse, modo vidimus. cf. *Altingium* l. c. 7) Describit ista copiosius *Lubienicius* l. c. p. 199. 8) Non pigebit, integrum *Wencesl. Budovitzii*, *Baronis Boiemi* testimonium a *Crozeo* l. c. p. 125. & *Altingio* l. c. laudatum hic inferere, qui in *Circulo Horologii Lunaribus, & Solaribus* p. 234. ita: *Ex libidinibus contracto morbo, & sciatens vermibus, cum homines*

❖ (o) ❖

LXIII

qui cum mugitu horribili, vocibusque blasphemis subinde ingeminatis periens, incredibile sui odium apud fideios reliquit.

XXVII. Prodeat nunc *Georg. Nouariensis*, Bononiae GEORG. NO-
ob defectionem ad Iudaeos combustus, tradente ex *Bapt. VARIENSIS*,
Mantuano Giob. Voetio P. II. Disp. Sel. p. 99. an autem
apostasiae merito suspectis accensendus sit? non desinio,
suppliciumque nihil hic certi relinquit, quod ipsi forte
cum aliis, innoxiiis viris, eundem vitae exitum nactis,
commune esse potuit. Longa inprimis Iudaeorum con-
suetudine corruptus, Messiae aduentum negasse dicitur.

XXVIII. *Iul. Corr. Otto*, pessimi ingenii Iudaeus, ho- I. C. OTTO,
mo πανθεγος & κινάδος, ut ait Ille in Νεφέλας, locum non
infimum inter apostatas sibi tribui poscit. Exuisse is vi-
debatur vniuersam Iudaeorum superstitionem, cum sus-
cepto rite baptismo documentum fidei suae daret, &
notissimo libro: *Gali Razia*, seu *occultorum deteptione*, ca-
lamum in populares stringeret, quo credulis ita impone-
bat, ut & auctorem libri pium, & Christianae religionis
tenacissimum crederent, & librum ipsum solide, ac erudite
scriptum iudicarent, imo ex illo tela contra Iudaeos,
quamuis infeliciter depromerent. Mores praeterea do-
ctrinamque Otto illustri Noribergensium Reip. compro-
babat, quae Prof. Publ. Ottonem in Academia Norica
constituebat, verum mox deserta statione sua, ad vomitum,
Iudaeosque rediit. Malumus totam rem verbis
Wagenseilii, τὸ ἐξοχωτάτε, qui Ottonem propius nouerat.

enar-
nes prae foetore illum accedere recusarent, maledixit Deo
& omnibus religionibus, ob quod a Turcis Saetan Oglı,
i. e. Filius Satanae nominatus est, referentibus mihi, Cno-
pli post eius obitum degenti, ipsis Turcis, qui nullius
hominis tam horrendum exitum cum furore, & mugitu
audierint.

enarrare, ita autem ille in *Tel. Ign. Sat.* p. 119. *Infamis nebulosus, & propudium Academiae nostrae, Iul. Conr. Otto, qui a Iudaicis sordibus per baptismum repurgatus, paulo post ad vetus volutabrum rediit. & in Sota p. 704. I. C. Otto, pseudo-Iudaeus, pseudo Rabbinius, pseudo Christianus, atque hic verus fur, trifur, trifurcifer, mendacia multa in Gali Razia inperfit, & p. 705. Ipsum Stygium Cacodaemonem, inquit Wagenfeilius, magis non potuisse sanctissimae Christianorum religioni illudere, quam iste nequam fecisse deprehenditur - Imo sic persuasus sum, non habuit aliud consilium bipedum nequissimus, cum Christianam religionem simularet, & detestabilem librum meditaretur, quam ut specie iuandi *Rel. Christ.* illam Iudaeis redderet contemptissimam. Sperabat enim fore, ut Christiani, argumentis suis ineptissimis confisi, illisque cupide aduersus Iudaeos utentes, id quod a quibusdam factum dolet Wagenfeilius, sic illorum risui se exponerent, & sibi-
lis. In eandem sententiam iudicium suum de Ottone interponit *Carpzovius* in *Theol. Iud.* c. xi. §. 6. *Non serio rem agit, sed circumuenire Christianos intendit nostro seculo Iul. C. Otto, & ipse post Christianae religionis professionem, editumque librum, Noltratum manibus frequenter tritum, Gali Razia, ad vomitum rediens.**

PAULLIANI.

XXXIX. *Paulliani*, Sec. III. turbas qui dederunt & Paulo Samosatensi nomen traxerunt suum, nunc producuntur, neque enim praeterire possumus sectam cuius tum conditor, tum asselae, ignominioso Iudaeorum nomine sunt infamati. Nihil quidem attinet, ipsius Paulli fata, arrogantiam singularem, & reliquos naeuos, a Patribus Synodi Antiochenae viuis coloribus descriptos, apud *Eutebium* L. II. H. E. c. 30. copiosius tradere, id tamen tacere non possumus, opiniones sparsisse Paullum, Iudaicis commentis propiores. Namque *αποστάς*, ut a-
iunt

iunt Antiocheni apud Eusebium l.c. τὸ κανόνος ἐπὶ κίβδη-
 λα ἢ νόθα διδάγματα μετέληλυθεν κ. τ. λ. & indubium, ne-
 que id non constat, quin Zenobiae, fortissimae Palmy-
 renorum Reginae, in cuius gratiam ita irreperat, vt ea
 excidere posse, nec sibi nec aliis videretur, gratum tum
 ob alia merita, quae in Paulo extare volebat, tum no-
 minatim collatam amplissimam Ducenarii dignitatem, te-
 staretur animum Paullus, νομίζων θεραπεύειν ἐπέμνη τὰ Ἰουδαί-
 ων φρονῆσαν, tradente Theodorito Haeret. Fabul. L. II, c. 8.
 Cum enim Iudaismum amplexa fuisset Zenobia ista, vt ex
 Athanasio liquet T. I. p. 386, Ed. Par. Ἰουδαία ἦν Ζηνοβία,
 aut saltem iudaizaret, quod malle videntur recentiores non-
 nulli, eius gratiam vt vltierus officiis suis demereretur,
 Paullus, semelque acquisitam, & partam vberius ampli-
 ficaret, talia docebat, quae ad Iudaicam impietatem pro-
 xime accedentia, a Zenobia non poterant non probari.
 Quare sectatores etiam Paulli, quod Iudaeorum dogma-
 ta in aluearia sua deriuarint, secundi Iudaei sunt vocati.
 Ita enim diserite Epiphanius Haer. LXV. T. II. Op. οὐτε
 τὸν Ἰουδαϊσμόν παραφθείροντες, ἀλλὰ περισσώτερον τῶν Ἰουδαίων κη-
 κημένοι δέσποροι Ἰουδαῖοι κληθήσονται. Iuvat etiam audire Au-
 gustinum ad quod vult Deum. Haer. XLIV. Paullianorum
 baptisimus pro illegitimo habetur, eo quod non baptizarunt in
 nomine Trinitatis, & hoc ipso Iudaeis fauerunt. Plura ve-
 terum testimonia dabit Suicerus in recondito suo antiqui-
 tatis Ecclesiasticae Thesauro, sub voce Ἰουδαῖος, nec parum
 proderit, euoluisset Iustellum ad Can. XIX. Conc. Nicae-
 ni. Operae iam pretium facturi eramus, si ipsam rem,
 & quid de apostasia Paullianorum iudicemus, plenius ex-
 poneremus, verum personae, quam gerimus, memores,
 consulto ab vltiori inquisitione abstinemus.

XXX. *Peregrini, Pariani*, Philosophi Cynici, si Luciano, Stoici, si aliis credis, a) Polycarpi, Smyrnenfis Ecclesiae Praefulis, aequalis, & Sec. II. clari, notabile in primis exemplum erat, neque propterea hic pratereundum. Quem etsi Gellius N. A. L. XII, II. Virum grauem, & constantem vocet, defectio tamen hominem leuem, & Protheum loquitur, quod vltimum nomen Peregrino frequenter obiectum Lucianus loco mox citando profiteretur, nec Gellius dissimulat. Vixerat iuuenis moribus inquinatissimis, mox, induta Christiani persona, sed, vt ego credo, simulatione, & calliditate vulpina, nomen inter Christianos profitebatur, qui iuuare hominem, beneficiis ornare variis, publico sumtu alere, laeto ad haec Peregrino. Cui non alium finem, cum Christianis adhaereret, fuisse, manifestum est, quam vt pecuniam corraderet, candidaque piorum hominum benignitate abuteretur. Christianorum vero Legislatorem summum, & maximae apud eos auctoritatis fuisse Peregrinum, fingit *Petitus*, b) merito vapulans *Steph. le Moyne* in *Dissert. de Polycarpo*, quae in *Prolegomenis* ad *Varia Eius Sacra* reperitur. Neq; tamen diuista personam egit suam, sed cum videretur de *Idolothytis* comedisse, c) eiectus a Christianis, in Patriam remigrabat. Senex tandem *Προδώρας* occubuit, suique ipsius dignus carnifex, A. C. 169. post Olympia celebrata, se praecipitem in

a) Illa tamen sententiarum differentia facile conciliatur, cum Cynici a Stoicis forte solo habitu different, & hi illorum sordes, & ἀναίσχυοι τὰν modo auersarentur. Iuuenalis Sat. XIII.

Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata curat

A Cynicis iunica distantia

adde Laërtium L. VII, 4. b) in Miscell. Obseru. p. 118. ap. Moynem I. c. c) ita enim cum *Celeb. Fabricio B. G. L. IV, 6. p. 500.* explico verba *Luciani. ἀφθν, ἀς ὀίμας, ἐδῆ-ων ἀπορρητῶν.*

in rogam dedit, Martyres procul dubio aemulaturus. Descripsit illam Peregrini mortem *Lucianus* πρὸς τῆς Περσέφυλας τελευταίας T. II. Op. p. 556. seq. neque tamen alio mentis consilio, quam ut Polycarpum, & Martyres omnes contumeliosis, & ludibriis omnium exponeret, mordacissimique ingenii sui salibus Christianorum sacra, instituta, moresque sanctos defricaret. Magnopere hac ipsa morte sua sibi, pariter ac aliis placuit Peregrinus, qui, ne inglorius abiret, epistolis ad celeberrimas ciuitates missis, mortem non modo suam significabat, verum etiam admonitiones addebat. ad mores recte componendos facientes, ut salubrioribus monitis suis bene de Rep. meritis videretur. d) Aliis vero quantopere placuerit, docent praeter Lucianum scriptores plurimi, Ecclesiastici non minus, quam profani, nec dubitare finit ille apud Lucianum, qui, in memoriam tam nobilissimi facti, Βακτυρίαν Peregrini, qua in rogam desiliebat, talento coemit.

XXXI. De Jo. Pfefferkornio, male cum cognomine confuso, & in hac vrbe exulto, cum supra satis dictum sit, nolumus plura hic cumulare. Potius ad *Philonem*, celeberrimum illum Philosophiae Platonicae doctorem, gentisque Iudaicae ornamentum, proficiscimur, qui male a Photio, vel rectius Interpolatore eius, Cod. Cv. post susceptum Christianismum ad Iudaismum suum relapsus dicitur. Etsi enim Photii apud nos auctoritas maxima est, in tanto tamen veterum de hac Philonis defectione silentio, fidem soli Photio adhibere, parum forte fuerit consultum. Sicuti falsitatis non immerito suspectus est rumor, qui Eusebium L. II. c. 17. H. E. & alios commouit, ut dicerent, sermones Philonem Romae cum Petro miscuisse, cum secunda vice ad Imp. Claudium legationem Philo obiret, nam, ut acute disputat Basnagius T. I. Annal. p. 499. Petrus ante Claudii mortem Romam attigisse, non videtur. Vnde vapulat Photius τῷ πάντῳ

PHILO.

I 2

Fabri.

d) Idque exemplo Ignatii secisse videtur, id genus admonitionibus, & nauis suos in fide salutari obfirmant, quae sententia est Pearsonii τῷ πάντῳ in Vind. Ignat. P. I. p. 6.

Fabricio in Bibl. Graeca L. IV, c. 4. recteque totam illam relationem in dubium vocat Caveus in Hist. Litter. p. m. XIV. Nec quicquam iuvat sententiam contrariam, quae Philo de Therapeuticis commentationibus suis inseruit, hos enim non Christianos fuisse, quicquid post multos alios recentissime Muratorius in Anecdotis Graecis p. 330. & Montfauconius in Not. ad Philonis Vit. contemplant. scribant, verum Iudaeos, & religione Philoni iunctos, monere forte fuerit superuacaneum. Ego quidem putarem, exiguam religionis curam gessisse Philonem, qui inexplebili ardore animi ad culturam Philosophiae Platonicae & Pythagoricae, ut ferebat Aegyptiorum mos, apud quos vivebat, appulit, & patriorum rituum minus, quam allegoriarum studiosus offensionem incautis attulit, inprimis cum opiniones Philosophicas ad res Diuinas exigeret, illasque ancipitibus Iudaeorum traditionibus admiscendo, compagem strueret euanidam, & male sibi cohaerentem. Auctor est *Massuetus* Dissert. I. Irenaeo praefixa p. xx.

PORPHYRIUS.

§. XXXII. Jam ad *Porphyrium* noster se conuertit sermo,

μαυνοῖς τόποις, ut ait ille, doctrinam salutarem oppugnantem, idque eo acrius, quo maiorem ingenii vim, doctrinaeque copiam ad infelix, & petulantissimum certaminis genus afferebat. Istum Spiritu Dei afflatum, tandemque ad fidem conuersum, instar Sauli Tarsensis, Iesum verum Deum agnouisse, narrant, qui Baronianis fabulis delectantur, a Lu. Holstenio 1) recte explosis, imo ab ipso etiam Baronio *δευτέρας Φρονήσι* emendatis. Vicissim autem a veri specie non abhorre putamus sententiam, quae *Porphyrium* eiurati Christianissimi, turpis *ἀποστολας*, & desultoriae leuitatis suspectum reddit. Verò enim non profusum est absimile, *Porphyrium* Christianis editum parentibus, cum lacte materno Capita fidei imbibisse, certissimumque praeter ea esse, arbitramur, Alexandriae prima Christianissimi tyrocinia fuisse eb eodem posita. Adierat disciplinae causa Origenem, fulgidissimum illud lumen, cui *κομίδη νεὸς ὠν* iuuenis admodum

tena-

1) de vita *Porphyrii* c. IV. adde *Vossium* de H. G. L. II. c. XVI. p. 245. *Mollerum* in *Homon* p. 334. praeter alios, qui simul occasione erroris a confusione *Porphyrii* huius cum *Publilio Optatiano Porph. orti*, eruerunt, ipse tamen *Baronius* *παράφρασις* emendat ad A. CCCXXV.

tēnacissime adhaerebat, id quod ipse Porphyrius non diffimulat, 2) a quo non dubium est, quin illis litteris fuerit tinctus, quarum tener Porphyrii animus capax erat. Neque sane ieiunum discipulum dimississet Origenes, aut in Ethnicorum errore obfirmasset, qui in id vnice incumberebat, idque maxima, ac praecipua cura agebat, vt κατηχήσει suis doctrinam diuiniorum vel confirmaret, vel propagaret. In scriptis reliquit praeter Eusebium Cedrenus p. 253. Πολλῶν μακρόθεν πρὸς ὀριγένην συρρέόντων, ἔ μόνον ἑλληνας ἢ φιλοσόφους ἢ αἰρετικούς πρὸς τὴν εὐσέβειαν ἐιλκυσεν, ἀλλὰ καὶ τὰς ὄντας χριστιανὸς μάλλον σοικειώσας ἐπεβεβαίωσεν. Vnde patere crediderim, saltē non aspernatum fuisse doctrinam Coelestem Porphyrium, quam accurate Notstrum etiam tenuisse, & calculo suo comprobasse, grauiissimi Viri, quorum fidem vel infringere, vel dubiam reddere, nihil suadet, monuerunt. Ita D. Augustinus de C. D. L. X, 28. *Si sapientiam vere amasses, Porphyrii, non a Christi saluberima humilitate timore inflatus vanae scientiae resiliisses.* Ex quibus verbis 3) id colligere mihi videor, Plotini, Origenis, diuersi ab illo, & aliorum, quos postea sequebatur, speciosis, vanisque commentationibus ita captum fuisse Nostrum, vt simplicem Origenis disciplinam, non πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, sed germanis verae sapientiae argumentis conditam, non repudiaret tantum, & ecuraret, sed publicis etiam scriptis, iisdemque virulentissimis, iudicaret oppugnandam. Cui explicationi quam maxime fauet Socrates H. E. L. III, 19. vbi Porphyrium cum Iuliano componit, ac vtrique ἀποσασίαν exprobrat, qui operae sane pretium fecisset, si luculentius causam ἀποσασίας tradidisset. Neque enim crediderim, ob verbera, quae a Christianis Caesareae Porphyrio inflata dicuntur Socrati, illum animum, fidem abiicientem

I 3

2) ἐν τῷ τρίτῳ συντάγματι τῶν κατὰ χριστιανῶν γραφέντων ap. Eusebium H. E. L. VI, 19. ex quo repetit Suidas T. II. p. 762. 3) illa Augustini autoritas permouit Vosium l. c. vt inficias ire non audeat, Porphyrium primitus fuisse Christianum. Cauens tamen in Hist. Lit. p. m. 98. haesitat, sed forte immerito, quae enim non Nicephorus modo, sed etiam Socrates, factis grauis Auctor, retulerunt, euidētia sunt, & manifesta.



di, induisse. Potius id, quod Augustinus suspicatus est, Porphyrium pessundedit, quem praeterea desultoria ingenii leuitas male perdidit, vt acute monet Georgius Pisides in venusto, & supra seculi sui captum elaborato ποσμοποιας ποῆματε: 4)

Τῷ πορφυρίῳ γλῶσσα μὲν ἰεθρημένη,
Γνώμης δὲ φύσις ἀτακτὴν ἐπισημένη. 5)

GVIL. POSTEL
LVS.

XXXIII. Guil. Postellus quam male etiam audiat, minus recte tamen inter apostatas collocatur. Beza recitum appellauit, ab aliis propensio singularis erga religionem Turcarum illi obiicitur, ab aliis Iudaicae religionis se suspectum fecisse perhibetur libro illo, quem Bodinus postea vberius explanauit, alii denique aliter iudicarunt. Nos non dubitamus subscribere sententiae, a Cel. Obseruatore T. I. Obs. Hall. XXI. & T. IV. O. XII. propositae, quae etsi Postellum non defendat, aut erroribus eius patrocinetur, recte tamen ostendit, iniquiores esse in Postellum, qui ita loquuntur. Neque enim reperire haecenus potui, quod a sententia illa abducere posset.

J. P. SPERHTI-
VS.

XXXIV. Jo. Per. Spechtium, portentosa animi leuitate Virum, Postello subiungimus. Ille Augustae Vindelicorum in lucem editus erat parentibus Pontificiis, aetate profectus Lutheranis adhaesit, doctrinamque suam doctissimis viris comprobauit. Litterarum praecipue Ebraicarum erat peritissimus, quae non poenitendas opes Iudaeorum Cabbalam interpretanti elargiebatur. Erat enim a viro illustri, Knorrio a Rosenroht, in societatem Operis, quod de *Cabbala Denudata* moliebatur, adornandi allectus. Imo in aliorum etiam piissimorum, clarissimorumque virorum gratiam irrepererat, qui hominem & opere, & consiliis paternis, saluberrimisque adiuuare, nunquam desistebant. Verum leuisime omnia contemnebat Spethus, qui creberrime religionem*

4) v. 1045. ap. Fabricium B. G. L. IV. 27. 5) propterea non male iudicauit Lud. Viues ad Augustini l. c. *Porphyrius vir nec corpore satis sanus, nec mente, iudicii inconstans.*

(*) Ita an. 1682. Franc. ad Pontificios redibat, familiaeque Carmelitarum adhaerebat, vid. Dn. Speneri Consil. Germ. P. III. p. 535. Anno 89. Idem beatus vir de Spetho ad Ecclesiam Lutheranam reducendo Epistola efficacissima, sed frustra, laborabat. P. IV. p. 623 postea Socinianos, mox alios sequebatur.

immurans, modo ad hunc, modo ad alium coetum confugiebat, donec tandem omni Christianorum communione relicta, ad Iudaeos Amstelodamenses an. 1697. accederet, b) sacrisque illorum initiatus, *Mosis Germani* nomine innotesceret. Diu ista consilia Spethum animo agitalle, certissimum esse videtur, quem etiam animo diu suspensum, nesciuisse, quid faceret? collegi ex D. Speneri loco, infra allegando. Quamuis postea ita firmus Iudacis adhaereret, ut frustra Cl. V. *Jo. Georg. V. Wachterus* laboraret, in Spetho ad Christianismum reuocando, quem ille ex animo eiurauerat, ut testis est *La Crozius* in *Vind. adv. Harduinum* p. 62. Cum vero putidissimas Rabbiorum fabulas non satis probare, Iudacis videretur, hi reditum eius suspicari, veneno profelytum suum e medio sustulisse dicuntur, postquam nondum triennium in communione verporum impleuerat. Ita nec suis placuit Spethus, quamuis animum indueret, Christianis inimicissimum, publicisque scriptis veritatem, a qua disceserat, oppugnaret, quae omnium manibus conteruntur. Memorabilis inprimis, sed aequae absurda, ac impia est sententia, quam miserimus homo de antiquitate religionis Christianae fovebat, & cum Wachtero communicabat, a quo Cl. Crozius l. c. accepit, cuius verba afferamus: *Saepe numero dixit apostata miserrimus, adinueniam esse Religionem Christianam a Constantino M. nec aliud esse, quam fabulas, quaecunque narrantur, & scripta sunt de martyris Veterum Christianorum; Nouum Testamentum, & eorum patrum scripta, qui tribus post Christum seculis floruerunt, iubente Constantino fuisse conscripta; Iudaicam religionem totum antea orbem terrarum occupasse.*

XXV. *Theodiscum*, Archiepiscopum Hispalensem, nunc commemoramus, Isidori successorem, si *Lucae Tudensi* credimus, cuius ad Mohammedanos transitus multum cordatior afflixit, qui doctissimi, Clarissimi que viri lapsum non sine doloris sensu percipiebant. Fovebat varios de Christo errores, quos eiurare cum nollet, a Concilio VII. Toletano sub Chindasvinto, Hispaniae Rege, coacto, officio, & dignitate exuebatur, Autore diligentissimo Mariana *Rer. Hisp. L. VI, c. 7.* Vii autem

THEODISCVS

b) lege Epist. Diui Speneri P. III. Conf. Germ. p. 691.

tem festinanter, & imprudenter agunt, qui affectibus abripi se patiuntur, ita Episcopus noster, neglecta animi moderatione, atque prudentia, pietate temperata, susque deque habita, parum sibi, parum conscientiae consulebat, ubi leuis, prauique animi sui documenta editurus, Africam adit, ut inter Arabes Mohammedismum profiteretur. Operae vero pretium est, integrum locum ex Luca Tudenti, Baronio toties laudato, adscribere, ad quem etiam Marianam respexisse, vero fit simile. Ita autem ille L. III. Chron. Mundi p. 53. *Successi beatissimo Doctori Isodoro Theodisilus: (ab aliis vocatur Theodosius:) natione Graecus, varietate linguarum doctus, exterius locutione nitidus, interius autem, ut exitus demonstrauit, sub ouina pelle lupus rapacissimus. Nam libros quosdam de naturis rerum, & de arte medicina, nec non de arte notoria, quos pater Isidorus sacundo stylo composuerat, & ne dum ad publicum venerant, in odium fidei corruptit, ressecans vera, & inferens falsa, atque per quendam Arabum, nomine Auicennam, de Latino in Arabicum transtulit (aut hic egregie fallitur Lucas, aut Auicenna ille diuersus est a Philosopho, Sec. XI. claro,) Hic erroneus in articulis fidei comprobatus, per Synodum ab Archi-Episcopali dignitate degradatus est. Asserebat enim Dominum nostrum Iesum Christum cum P. & Spir. S. non esse unum Deum, sed potius adoptiuum. Hic, ut dictum est, priuatus honore Sacerdotii, ad Arabes transit, & seclae Pseudo prophetae Mahomedi adhaesit, & plura docuit detestanda sub Imperatore Heraclio. Ita ex hoc Baronius ad A. DCXXXVI. N. IX.*

TREMELLIVS

XXXVI. Tremellio, optimo, constantissimoque viro, apostasiam obiectam esse, mirabitur, qui grata mente varios illius labores, pro salute Ecclesiae exantlatos, recoluerit, eiusque constantiam recogitauerit, aut quae de beato, feliceque viri exitu, a testibus grauisimis referuntur. Nihilominus tamen reperiuntur coniectores vani, & plus iusto suspiciosi, qui Em. Tremellium pro pessimo Iudaeo, ubi e vita excefferat, habuerunt. Neque ea criminatione Iudaei solum gloriari sunt, quorum Synagogam, Numine bene iuuante, deseruerat, sed ex ipsis Christianis nonnulli idem rugabantur, quibus sane Tremellii mens explorata

ploratio esse poterat, nisi odium obstitisset, quo virum innocentem prosequerantur. Vindicem tamen jam pridem nominis, & existimationis suae nactus est Tremellius in Christ. Gersoni P. II. c. 19. p. m. 529. Talm. Iudaici, grauius omnino de iniuria, viro illata, conquerente.

XXXVII. M. *Conr. Victoris*, Marpurgensis, defectio nota CONR. VICTOR. fati, & a multis iam tradita est. Erat vir non profus ineptus, bonarumque litterarum sic satis peritus, qui Marpurgi etiam linguam Ebraicam docebat, ita tamen, vt mentis infirmas, corruptasque significationes & varias daret, & luculentas. In primis vero profana quadam temeritate in tractationem disciplinae diuini inuolabat, quadrata mutabat rotundis, dubitabat de clarissimis veritatibus, ita diferte in scriptura declaratis, neglecta, quae per pias preces obtinetur, Spiritus vnctione, spretoque, quod vacillantem obfirmare, coecumque diuinæ lucis radiis collustrare poterat, summi Numinis auxilio. Neq. tamen hanc mentis *ἀρροσίαν* impune tulit infelix Apostata, qui satis diuisiue sententias comprimens, tandem in fugam conuersus, deserta vxore, & liberis, Constantinopolin festinavit, inde Thesaloniam perrexit, vt Iudaeos accederet, vbi etiam incunte Sec. XVII. circa annum *MDCVII.* abiecto priore nomine, in circumcissione *Mosch. Pardo* nomen accepit. Scribebat inde epistolam ad Jo. Hartmannum Med. D. & Academ. Marp. Prof. Publ. d. XXIII. Dec. an. 1614. quam integram *Dieffenbachius* Iud. Conuer. p. 141. & *Schudius* Delic. Phil. Hebr. p. 240. euulgarunt. Vterque liber satis obuius cum sit, nos labore describendi eam Epist. superfedere possumus. Jeiune & puerilliter ibi sentit miser homo, qui Nubem pro Junone amplexus, opere ipso docuit *τὸν Φιλῆντα τὴν ψυχὴν αὐτῆς, ἀπολέσειν αὐτήν, vel τὸν θελοντα τὴν ψυχὴν αὐτῆς σώσαι, ἀπολέσειν αὐτήν*, vt significantissime apud Joannem XII, 28. & Matth. XVI, 25. Quem vitae exitum habuerit, non liquet. Gisb. Voetius, memoriae lapsu P. III. Disp. Sel. p. 779. M. Erasmus, Praeceptorem Classicum scholae Marpurgensis, appellat, quae *παροράματα μνημονικά* non infrequenter in scriptis doctissimi Viri deprehendas.

SCHABBAI ZE.
VI.

XXXIIX. Ordo nunc nos ad *Schabbai Zevi* ducit, ad gentem deceperat. Multa de eo afferre poteramus, forte nec iniucunda, nec instructuosa, quae tamen angustiae disertationis Academicæ pagellæ non capere videntur, imprimis cum præter spem commentatio ita excreuerit, ut, destinatos terminos supergressa, nos de maturando sine admoneat. Quare in compendium mittimus dicenda, suadentes, ut ex Bartoloccio T. IV. Bibl. Rabb. p. 48. Jo. a Lent de *Pseudo Messis* c. V. & VI. nec non Wagenfeldii *Pera Juuen.* L. II. p. 128. sitim restinguant, qui vitæ, doctrinæque Zevianæ notitiam desiderant.

TH. VVITTLAUS.
LAEVS.

XXXIX. Etsi proximus fuerit *avosaria Th. Vvittlaus*, Vir doctus, & diligens, & eo nomine a quibusdam inter Apostatas referatur, non tamen veremur, eundem numero apostatarum eximere, moti rationibus, quas Mar. Frecherus in *Theatro* p. 167. attulit, perorandæ Wittlaci causæ idoneas.

XL. Restat, ut fidem supra datam liberemus. Quanta ergo id fieri breuitate ponerit, nomina illorum per spicilegii modum exhibebimus, qui e Protestantibus ad Pontificios accesserunt. *Pet. Bertius*, Theologus Reformatus, & in Acad. Leyd. Prof. P. disciplinae de vita, & moribus, primo ad Remonstrantes, tandem ad Papicolas dilapsus An. 1620. Orationem, defectionis causas continentem, Lutetiae Paris. VI. Non. Octobr. 1620. declamavit. excusa eadem est Antvv. a. 1621. 8. ap. Jo. Cnobbarum. Credo, Geographi Regii dignitatem, & quæ huic iuncta erat, lautissimam stipem efficacissime Bertium commouisse, ut a sententia priore in Religionis capitibus discederet.

OH. BESOLDI

Chr. Besoldi historiam luculentius tradunt Arnoldus P. II. L. XVII. c. 3. §. 1. & Celeberr. Dn. D. Gundlingus P. I. Or. p. 243.

PH. CAROLI

Phil. Caroli Prof. Altorfni exemplum commemorant I. C. Diericus in *Antiqu.* Bibl. p. 27. & Crenius P. IV. Anim. p. 221. *phil.*

PH. CANAIUS

Canaius a Fraxinis, Vir illustris, statim post Colloquium Fontebellaqueum, inter Mornacum Plesiacum, & Perronum Ebroicensem, spem Regi Galliarum haud exiguum transitus sui fecerat, ut Auctor Vitæ Mornaci, Gallie scriptæ p. 264. monet. Ar-

gute

gute tamen se adhuc Protestantium Primarium simulabat, Hablonemque, ubi extra urbem Protestantes sacra faciebant, cum Casaubono frequenter adibat, licet non ita multo post palam suos desereret, vt supra, cum de Casaubono ageremus, vidimus. *Io. Adolphus Cypraeus*, Pauli, Icti, & Consiliarii, Filius, Slesuicensis, & in patria aedis, S. Michaelis, Ecclesiastes, anno 633. in Bataviam valetudinis causa exspatiatus, Coloniam adiit, ibidemque Lutheri doctrinam eiuravit, factus Ecclesiae Pontificiae Profelytus. Debentur industriae Cypraci Annales Slesuicenses Colon. Agripp. 1634. excusi, libervtilissimus, multisque promeritis elogius maectatus a V. Cl. Io. Mollero P. I. Chersf. Cimbr. p. 124. seq. *M. Antonii de Dominis*, sacra aliquoties infeliciter mutantis, historiam tradunt Naudeana p. 12. seq. Maruillius T. I. Miscell. p. 279. Dn. D. Jaegerus H. E. S. XVII p. 242. - 251. Zuitingerus in Hung. Litter. p. 121. seqq. Ios. Halli Epistola elegantiss. qua dissuadet Antonio *ἀνοσιώταις*, occurrit inter Colomesii Ep. Sel. p. m. 307. Felli epistola eiusdem argumenti subiuncta legitur *Ios. Halli Romae irreconciliabili*, a *Io. F. Mayero* 1706. 8. reculae, vbi simul Reuocatio Marci huius solemnis, quam Romae a. 1622. edidit, reperitur. *Pau. Eliae*, Danus, ex Lutheranis, accepto Canonicatu, Pontificius factus Sec. XVII. inuente, vt refert Cr. Windingius in Rect. Acad. Haffn. p. 60. *Christ. Francken*, Gardelebia-Brandenburgicus, natus & educatus in Lutheranismis, aduultior factus Pontificios sequebatur, & Iesuitarum nominatim familiae accedens, Romae vivebat, ab his tamen rursus ad Socinianos defecit, Rectorq; Scholae Csmicnicensis in Polonia est constitutus. Fr. Davidis Parastara, & quas ille fouebat, opinionum Iudaicarum Patronus, & defensor. Postea in Transyluaniam abiit, & Claudiopoli Lectoris munere vsque ad an. 1590 qui emortualis esse videtur, defunctus est. vid. Sandius in Biblioth. p. 86. *Lod. Kusteri*, Viri literatissimi, excipium recens, & notum fati. Parisiis nunc versatur, amploque ex munificencia Regia fruitur stipendio, id quod referunt Ephem. Paris. M. Sept. 1713. *Iust. Lipsii ἀνοσιώταις* casumque dolet. *Schlusselfburgius* in Resp. ad Pelargum p. 30. apud *Th.*

Io. Ad. Cy-
PRAEVS.

M. A. DE
DOMINIS.

CHR. FRANCKEN.

LVD. KVSTERTIUM.

IUST. LIPSIUS.

IO LANDS-
PERGENSIS.
R. M. MEHL-
FRERER.

Crenium P. VII. Animadv. p. 54. De Religione eius valde dubia *Vöetius* P. I. p. 206. & auctores a *Baelio* allegati vberius tradunt, qui etiam Stoam exornando, boni Christiani nomen dudum amisit. Neque virgine Hallensi suam maculam eluit, quod opusculum a Jesuitis extortum esse, non immerito suspicabatur *Scaliger* L. II. Ep. 106, p. 283. sicuti in eodem impia, & friuola multa docuisse Lipsium, exemplis ostendit *Casauonus* in Anis p. 6. *Jo. Landspergensis* huc omnino referendus, de cuius lapsu dignus est, qui consulatur, *El. Hasenmaullerus* in *Histor. Ordinis Jesuit.* p. 427. *Rud. Mart. Mehlfrererum* nominis, quam tantopere sitiit, celebritatem, non aliunde, nisi a defectione ad Pontificios habere, neminem forte praeteribit. *Fr. Foris Ozokocius*, Hungarus, Theologus Reformatus, Pontificiorum sacra amplexus est. Ita expugnatus tandem Viri animus est, qui in persecutione Hungarica iniuncto robore se commendare videbatur, cum Triremibus Neapol. quam iugo Pontificio alligari mallet. e quibus casu liberatus Oxon. an. 1692. *Ειρηνηόν*, seu pacis consilium euulgabat, pro *unione inter Augustanae & Helueticae confessionis Socios restituenda.* recenset librum *P. Rahus* in *Peristyllo Librar. Belg.* scripto. an. 1693. M. Jul. p. 104. donec tandem sponte ad Pontificios accederet. Integram Historiam referunt *Relationes innoxiae* ad A. 1709, p. 797. quas omnino vide. *Jo. Phil. Pfeifferus*, Theologus Lutheranus, *Regiomontanus*, cum varios scrupulos de veritate religionis foveret, nec eosdem sibi ex scriptis doctissimorum virorum, maxime b. Speneri, quod solum, solidissime scriptum, *Jo. Ern. Grabium* retinebat, eximi pateretur, ad Pontificios transit. Vitam eius copiose, & luculenter exponit Auctor *Vitar. select. eruditiss. Virorum*, quae Vratislav. 1711. editae sunt p. 581. Nec sine fructu consuli poterit Hen. Witteni disputatio de Ecclesia *Lutherana non Schismatica*, quam contra Pfeifferum *Griphisv.* 1697. Praefide D. Rangone ventilauit. *Jo. Pistorii* memorabile in primis exemplum prae reliquis accurate tradit *Arnoldus H. E. L. XVI, 8. §. 40.* Cui iungi debet *Historia Colloquii Em-mendingensis*, a Dn. D. Fechtio edita. *Jo. Rendtorfius*, Vir doctissimus, & multis in Remp. Litter. meritis inclutus, Ham-
bur-

IO. PISTORI-
VS.

IO. REND-
TORFIVS.

burgi adhuc superstes; cuius varia in Fabricii Bibl. Graeca, li-
 matissimaque monumenta exstant, eodem tempore, quo Gra-
 bius ad Ecclesiam Anglicanam accessit, Romanam Ecclesiam
 quaesivit, iuxta ac inuenit. Multa de eo, lectu digna, in Im-
 bonati Biblioth. Lat. Hebr. p. 417. seq. *Paul. Scalichius*, ex ^{PAVL. SCA-}
 sacrificio Misfatico, Lutheranismi sectator, in Borussia ac Tu- ^{LICHIVS.}
 bingae, quo ultimo in loco iuxta contra Ecclesiam Romanam
 scribebat, vt serio res suas agere videretur, sed mox, cum ani-
 mo aduersa quaedam, sibi imminetia, praeciperet, ad Pontifi-
 cios rediit, edito 1571. volumine, quo non vulgarem apud Pon-
 tificios gratiam iniit. conf. Morhofius in Polyh. p. 105. Tenze-
 lius in Colloqu. Menstr. 1694. p. 308. *Staphyli apostasia* pa- ^{STAPHYLVS.}
 trum memoria viros cordatos multum affligebat, narrante Ar-
 noldo l. c. § 38. Vnde Flacius, Illyricus, paullo commotior
 sceleratum apostatam, & nefarium scorti Babylonici mancipium
 Staphylum appellabat in *Clavis* P. II. p. 725. *Sixti Tammeri*,
Dan. Tileni, *Jo. Vassani*, *Pauli Verderii*, *VVizelii*, & aliorum
 id genus fata, & defectiones sicco transimus pede.

XLI. Tandem sicuti princeps cuiuslibet curia ea esse debet,
 vt animum cultu Numinis imbuat, veritatemque in S. codice
 reuelatam, & agnoscat, & credat, ac ea ratione & voluntati &
 intellectui ex inenarrabili Praepotentis Dei beneficio medicinam
 fieri praestantissimam, patiatur, ita e contrario non minori di-
 ligentia ac ardore eo elaborare tenetur, vt exorato Numinis
 auxilio, veritatis agnitae retinentissimus sit, auroque, imo vita
 ipsa contra charum habeat incomparabile illud beneficium, quo
 Spiritus paupertate conspicui, & in infucato Domini timore in-
 cedentes, abundantissime, pro affluentia gratiae Diuinae, be-
 antur. Ita viri boni, restitue ingenium aemulabatur, quod
 Gregorii Nazianzeni 1) verbis ita depingimus: ὡς τὸ γὰρ θεὸς
 δύνασται λέγειν. Ἐγὼ δὲ ὁ αὐτὸς εἰμι, καὶ ἐκ ἡλώομαι. Ἐκκε-
 μεταποιηθήσεται ἀνδὲ συμμεταπεισῆται τοῖς κερκοῖς, καὶ τοῖς πρῶ-
 γμασιν. ἀλλο γὰρ ἄλλος γενόμενος, καὶ πολλὰς μεταλαμβάνων
 χροάς, ὥσπερ γὰρ τῶν πτερῶν οἱ πολυποδες, οἷς ἀν ὀμιλήσασιν.
 Patrem ceterum luminum religiose imploramus, vt ipse instruat
 igno-

1) Orat. XXVII. p. m. 472.

ignorantes, errantes arguat, dubitantes confirmet, atque omnes Dominum puris animis inuocare doceat, uti iustitiam, fidem, pacem, ac charitatem perfequantur, ac in vera, salutarique Seruatoris fide & uiuant, & obdormiscant.

CONSPECTVS.

§. I. Tractatio de Apostatis non infructuosa est. II. & III. Apostata quis? IV. exprobratio Apostasiae, consecutionum ope elizicae, ridicula, & inepta est. V. Exempla apostasiae ob scientiam L. L. O. O. falso suspectorum. VI. Confusio homonymorum, nimia credulitas multos apostatas effinxit, immerito suspectos. VII. Apostasiae ob animi moderationem, sed falso, suspectorum, exempla. VIII. Causae apostasiae variae allegantur. IX. Apostasiam fidei saluari fraudi esse non posse, ostenditur. X. Vr. Acosta, Apostasiae M. S. XI. Io. Paulus Alciatus defectionis ad Mohammedanos F. S. XII. Ammonius Saccas apostasiae ad Ethnicos F. S. XIII. Auerroes apostasiae ad Mohamm. F. S. XIV. Ausonius Apostasiae Ethnicae F. S. XV. C. Barlaeus, Io. Bodinus, & Mar. Bucerus defectionis ad Iudaeos F. S. XVI. Cabbus, transitor Mohammedanus. XVII. Is. Casaubonus defectionis ad Pontificios F. S. XVIII. Th. Cranmerus eiusdem defectionis F. S. XIX. Is. Cardoso, Apostata Iudaicus. XX. Ben. & Orobius a Castro Defectores Iudaei. XXI. Fr. Alb. Christianus, Iudaicus. XXII. Coelicolae Apostasiae F. S. Iudaei ^{Επινομιστοι} XXIII. Julianus Apostasiae M. S. XXIV. Lucianus Apostasiae F. S. XXV. Sal. Molcho defector Iudaicus. XXVI. Ad. Neuserus apostasiae ad Mohammedanos M. S. XXVII. Ge. Nouariensis Iudaicus defect. an accensendus? XXVIII. Jul. Corr. Otto, Apostata Iudaicus. XXIX. Paulliani. XXX. Peregrinus. Apostasiae M. S. XXXI. Philo, apostasiae F. S. XXXII. Porphyrius Apostasiae M. S. XXXIII. Gu. Postellus defectionis F. S. XXXIV. Jo. Pet. Speebius, Apostata Iudaicus. XXXV. Theodiscus, Apostata Mohammedanus. XXXVI. Tremellius defectionis F. S. XXXVII. M. C. Victor, Ap. Iudaicus. XXXVIII. Sch. Zeui, defector Moham. XXXIX. Wittlaeus A. F. S. XL. Sylloge Virorum, ad Pontificios dilapsorum. XLI. Conclusio.

ERRATA.

P. 2. no. d. supple 29. p. 3. §. II, pro Apostasia I. apostata §. 39. p. 66. Eusebius L. VII.

00 A 6357

ULB Halle

002 845 008

3





f
56.

v> 98

Rebo







10.

D. F. F
AVSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI CAROLI
PRINCIPIS BORUSSIAE RELIQUA

DE
APOSTASIAE
MERITO ET FALSO
SUSPECTIS

beneuolo Superiorum consensu

PRAESIDE
M. PETRO ADOLPHO BOYSEN
ASCHERSLEB

d. Nov. ∞ 18 CC XIV
H. C. L. 2
EDISSERET

A. & R
MARCUS PAVLLVS HVHOLDVS Quedlinb
Phil. & S. Theol. St

HALE MAGDEBURGICÆ
PRELO ZEITLERIANO

